II.
NAZIONALE
8
21 — D
1
ROMA
VITT. EMANUELE
BIBLIO

L.B.I. · 3 · 16

Digitized by Google

Digitized by Google

Dom. Prof. Rom.

DE PROCESSIONIBVS ECCLESIASTICIS.

LIBER.

In quo earum inſtitutio, ſignificatio, ordo & ritus, ex ſacris Scripturis, Conciliis, & variorum Auctorum ſcriptis, explicantur.

PARISIIS,
Apud PETRVM GVILLEMOT,
viâ Iacobæâ, ad inſigne Bibliothecæ.
M. DC. LV.
Cum Priuilegio Regis.

CLAVDIVS,

DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA Epiſcopus Andegauenſis, omnibus Eccleſiarum parochialiu Rectoribus, & Preſbyteris noſtræ Diœceſis, ſalutem in Domino.

SAcri Eccleſiæ Catholicæ ritus, cùm ſint ſanctiſſimorum myſteriorum ſymbola, ad Dei cultum, & Religionis ſplendorem, ac populi Chriſtiani eruditionem ædificationémque inſtituta; rectè & conuenienter obiri non poſſunt; niſi myſteria ipſa, eorúmque or-

dinem & formam oculis aptè exhibeant, & veri ac legitimi cultus ſigna atque officia in ſe contineant. Quod vt fiat, neceſſe eſt Sacerdotes, & alios ſacrorum miniſtros, eorum quæ repræſentant myſteriorum rationem intelligere, & Eccleſiæ mentem atque inſtitutionem in ijs celebrandis ſequi: vt ſigna ipſa cum rebus ſignificatis conſentiant. Si ipſi quid agant neſciant, non poſſunt non in multis grauiter delinquere, & procul à myſteriorum veritate, & rectæ fidei diſciplina, temerè agendo, aberrare. Qua ratione fit, vt non tantùm abſurda pleraque & ridicula in ſacros ritus introducantur (quæ cùm in conſuetudinem venerint, pro lege haberi

Digitized by Google

ſolent, & hoc nomine vim Religioni facere) ſed etiam vt ipſa quæ exhibenda erant myſteria, profanis moribus ſuperinductis, ex memoria hominum prorſus euaneſcant. Qua in re non mediocre detrimentum patitur Chriſtiana Religio. In eo genere non vltimum locum tenent proceſſiones publicæ: quæ cùm à populo ſingulari frequentia & alacritate celebrentur, à priſtina tamen pietate & reuerentia his temporibus plurimùm degenerarunt. Id verò eâ cauſâ factum eſt, quòd cùm vbique fermè Sacerdotes, æquè ac laïci, earum myſteria, inſtitutionem & finem penitùs ignorent, neque illi eas debito ordine celebrare ſtudent, neque hi cum ea, quæ rebus

ſanctis digna ſit, veneratione & modeſtia proſequi. Quod cùm ſine graui animi dolore videre non poſſemus, appetente editione Proceſsionalis noſtri, duximus è re Christiana eſſe, precibus in eo contentis adiungere breues aliquas Admonitiones de ſingulis generibus proceſsionum, eo modo quo ante nos felicis recordationis Dominus Guillelmus de Varenna, huius ſedis Epiſcopus, Obſeruationes de vſu Sacramentorum, & alijs paſtoralis curæ functionibus, Rituali ſuo inſerendas cenſuerat: vt haberent Eccleſiarum parochialium Rectores ad manum prompta rerum earum documenta, quæ, vſu poſcente, populis ſibi commiſsis traderent; & Sacer-

Digitized by Google

dotes reliqui , vnde facillimè diſcerent, quid ſibi in Eccleſiaſticis miniſterijs, pro rerum agendarum varietate , præſtandum foret. Sed, eo labore inchoato, cùm eſſet animaduerſum, parũ momenti habituras eiuſmodi Admonitiones , hoc præſertim tempore, quo faſtidioſa ſunt hominum in rebus pietatis iudicia, niſi eæ idoneis Auctorum teſtimonijs & probationibus fulcinentur; id autem ſi fieret, grauior moles voluminis futura videretur quàm vt manu poſſet circumferri: viſum eſt in omnem partem commodius fore, ſi Tractatus de doctrina proceſſionum à Proceſſionali ſeiungeretur. Ita, liberiore ſpatio ad excurrendum dato, ſupplicationum Eccleſia-

ſticarum materiam vniuerſam habetis hoc libello copioſius explicatam, & rationibus ſuis ex diuinis Scripturis, Concilijs, & ſanctorum Patrum aliorúmque piorum Auctorum monumentis, illuſtratam. Quæ in re id præcipuè à nobis curatum eſt, vt omnis procedendi ordo & ritus, atque adeo ipſa precationum ſuffragia quæ in Proceſsionali continentur, ad priſtinam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ inſtitutionem, & formam ab omni memoria in noſtra Andegauenſi Eccleſia vſitatam, tamquam ad regulã, componerentur. Quippe, vt illa omnium Chriſtiani orbis Eccleſiarum, ita hæc diœceſanarum dux & magiſtra eſt: & dignum admiratione videri poteſt, in

Digitized by Google

tanto temporum interſtitio, tam religioſè hanc priſcis illius inſtitutis ad hunc vſque diem adhæſiſſe, vt, quiſquis antiquum Ordinem Romanum diligenter obſeruauerit, eius imaginem ad viuum expreſſam in noſtræ Eccleſiæ cæremonijs atque Officijs agniturus ſit. Studuimus etiam, quoties inſtituti noſtri ratio ferre potuit, Romanos & patrios ritus adhibita Græcorum comparatione illuſtrare: tum vt illi traditionum antiquiſſimarum exemplis, & diſsitarum gentium conſenſione firmarentur; tum etiã vt ex vtriſque Catholicæ Religionis vnanimitas, ad maiorem Dei gloriam, eluceſceret. Nonnumquam id nobis iuris ſumpſimus, vt, oblata occa-

Digitized by Google

ſione, ritus nonnullos ad proceſſionis argumentum non pertinentes obiter attingeremus, velut qui iter faciunt, flores vel fructus in viam propendentes per ludum carpunt; rati non iniucundum fore lectoribus aliò tendentibus tantillum lucri ſine diuerticulo capere. Noſtrum in ſuſcipiendo hoc opere conſilium fuit, proſpicere, vt & vos qui paſtorum perſonam geritis, & qui paſtoribus ad Eccleſiæ miniſterium adiuncti eſtis, libelli vnius lectione ſinceram de ſacris proceſſionibus & earum myſterijs doctrinam adepti, eas in parochijs ritè & ſecundum Eccleſiæ regulam celebretis; & populus Chriſtianus vobis docentibus diſcat, quid in ijs venerari, qua

reuerentia & pietate ſe gerere debeat. Qua ex re id ſperamus euenturum, quod votis omnibus ſemper optauimus, vt non tantùm ritè ac decenter, ſed etiam vno atque eodem modo, Deus in omni genere ſupplicationum per vniuerſam Diœceſim colatur; & ſit hæc terra, quæ nobis in Domino regenda obtigit, terra labij vnius. Atque id etiam pertinere volumus ad Eccleſias Collegiatas: quæ, velut filiæ Sion in circuitu Ieruſalem, quantùm cæteris excellunt, tanto ſtudioſiùs Eccleſiæ Cathedralis formam & ſimilitudinem æmulari debent, eiúſque in ſacris faciendis, & legitimis ritibus obſeruandis, diligentiam imitari. Habete igitur omnes penes vos hunc

librum, & ſtudioſè perlegite: vt ex eo diſcatis religioſè obſeruare legitima Dei, & cæremonias quas tradiderunt nobis patres
Deuter. 5. *noſtri.* Non declinabitis, neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram: ſed per viam, quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis; vt viuatis, & benè ſit vobis. *Datum Euentardi apud Andegauum, die nona Auguſti, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo primo.*

CLAVDIVS EPISCOPVS ANDEGAVENSIS.

Per Illuſtriſſimum ac reuerendiſſimum Dominum Dominum Epiſcopum prædictum.

AVCENT.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM, huius libri.

DE Proceſsionum nomine, & varietate. Caput 1. pag. 1.
De ratione & inſtitutione Proceſsionum. Caput. 2. pag. 5.
De ordine & apparatu Proceſsionum. Caput 3. pag. 19.
De præparatione ad Proceſsionem. Caput 4. pag. 39
De Proceſsione ad Altare, quæ fit in Miſſa ſolenni. Caput 5. pag. 50
De Proceſsione ad Euangelium. Caput 6. pag. 66.
De Proceſsione in Feſto Purificationis B. Mariæ. Caput. 7 pag. 87.
De Proceſsione in die Cinerum. Caput 8. pag. 91.
De Proceſsione Palmarum. Caput 9. pag. 94.
De Proceſsione in die Cœnæ Domini, ad conſecrationem Chriſmatis, &

Olei ſancti. Caput 10. *pag.* 103
De *Proceſsione ſanctiſsimi Sacramenti, quæ fieri ſolet in die Cœnæ Domini, & die ſancto Paraſceues.* Caput 11. *pag.* 130.
De *Proceſsione ad lauanda Altaria.* Caput 12. *pag.* 139
De *Proceſsione in Sabbato ſancto, ad benedictionem Fontis baptiſmalis.* Caput 13. *pag.* 150
De *Proceſsione matutina ante Laudes, in die* P*aſchæ.* Caput 14. *p.* 171.
De *Proceſsione matutina ante Miſſam, in die Paſchæ.* Caput 15. *p.* 197.
De *Proceſsione veſpertina ad Fontes, in die* P*aſchæ.* Caput 16. *pag.* 203.
De *Proceſsione ante Officium, in die Paſchæ, & alijs ſolennioribus Feſtis.* Caput 17. *pag.* 209
De *Proceſsionibus Dominicalibus, & ijs quæ fiunt in Feſtis.* Caput. 18. *p.* 217
De *Stationibus.* Caput. 19. *pag.* 221.
De *Litania maiore.* Caput. 20. *p.* 226.

De Litania minore, ſeu Rogationibus. Caput 21. pag. 234.
De Proceſsione in Feſto Aſcenſionis Domini. Caput 22. pag. 243
De Proceſsione ad Fontem, in Sabbato Pentecôſtes. Caput 23. pag. 248
De Proceſsione in die Pentecoſtes. Caput 24. pag. 251.
De Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti. Caput 25. pag. 256.
De Proceſsione veſpertina in Feſto Aſſumptionis B. Mariæ, pro Rege et Regno. Caput 26. pag. 278.
De Proceſſionibus menſtruis, anniuerſarijs, & alijs ſimilibus. Caput 27. pag. 282.
De Triduanis & Nouemdialibus Proceſsionibus. Caput 28. pag. 287.
De Proceſsionibus ambarualibus. Caput. 29. pag. 293.
De Litaniis Sanctorũ. Caput. 30. p. 298
De benedictionibus Eccleſiaſticis. Caput 31. pag. 302.

Approbatio Doctorum.

NOs infrà ſcripti Doctores Theologi Facultatis Pariſienſis, è Societate Sorbonica, fidem facimus, legiſſe & examinâſſe librum, cui titulus eſt, *De Proceſsionibus Eccleſiaſticis*, auctore Iacobo Eueillon, Canonico Eccleſiæ Andegauenſis: nihilque in eo fidei Orthodoxæ & bonis moribus contrarium reperiſſe; imò Eccleſiæ perutilem iudicâſſe. Pariſijs die 15. Octobris, anno Domini 1641.

I. Charton, A. De Machy.

Digitized by Google

Jacobus Cucillon Autor huius
Libri ut ex approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

De Proceſsionibus Ecclicis Liber

De Proceſsionum Nomine et Varietate

Caput Primum

Proceſsiones Christiano more uocantur supplicationes publicæ, quæ fiunt solemni ordine et ritu procedendo ab Ecclia ad alia loca Sancta, seu in Ecclesiam aut circa eam uel etiam circa vrbes, vicos, parochias, agros, cæmeteria, et alia eiusmodi, qua ròne a Græcis appellantur

nonnunquam etiam

quando scilicet earum finis est ingreſsus in Sacrarium, Undè

Digitized by Google

in eorum Liturgijs processionem agere uel proceden-
tibus praire, et in ordine Romano Processores dicuntur
ij qui simul cum Epo procedunt à Secretario ad Altare
Sacri faciendi causa, et qui Diaconum antecedunt
progredientem ad legendum Euangelium;
Procedere enim verbum Sacrorum est, quod signi
ficat composite et grauiter et cum apparatu
incedere quo uerbo innuere uoluit Ecclia
in supplicationibus non festinanter aut incondite
sed modestè ordinatè et cum religioso quodam
decore ac reuerentia esse progrediendum. Eædem
ab ipsis precibus quarum causa institutæ sunt
dicuntur Litaniæ, idest Supplicationes unde apud
Græcos . processionem obire
Aliquando etiam Stationes appellantur ut observatum est
à Durando Rational. lib. 7. c. 1. sumpto noie à veteri
Ecclie Rom. ritu, quo cum Statio apud aliquam Ecclesiam
haberetur populus cum Clero aliam vicinam
ædem conueniebat expectans Pontificem, quo
adueniente solemni ordine inde ad locum Sta:
tionis

Digitized by Google

tionis procedebatur, vt ex pluribus locis Ordinis Romani planum eſt, ex Anaſtaſio Bibliothecario in vita Leonis tertij, Durando Rational. lib. 4. c. 15. & lib. 7. c. 1. & Onuphrio Panuinio in libello de Stationibus vrbis Romæ. Ita proceſſio, quia ad Stationem pertinebat, Stationis nomen ſortita eſt. Proceſſiones enim vt plurimùm celebrantur ad ea templa, in quibus Statio publica eſt, vel ratione Feſti ſolennis, vel ſpecialis ſanctitatis loci, vel venerandarum Reliquiarum, vel aliàs inuocandi patrocinij eius Sancti, cuius nomini illa ſacrata ſunt.

Earum aliæ ſunt ſtatæ ſeu ordinariæ, quæ ex more certis diebus fieri ſolent: aliæ imperatiuæ ſeu extraordinariæ, quæ, pro varietate cauſarum, ſeu neceſſitatum ingruentium, extra ordinem indicuntur aut ſuſcipiuntur. Prioris generis ſunt, quæ fiunt in Miſſa ſolenni, in Feſto Purificationis beatæ Mariæ, feria quarta Cinerum, Dominica Palmarum, feria quinta in Cœna Domini ad conſecrationem Chriſmatis, & ad lauanda Altaria, in Paraſceue ad ſanctiſſimum Sacramentum, Sabbato Paſchæ & Pentecoſtes ad benedictionem Fontis, in Paſcha & Paſchalibus feriis, in Feſto S. Marci, in Rogationibus, in Aſcenſione Domini, in

Pentecoſte, in Feſto Corporis Chriſti, in diebus Dominicis & Feſtis ſolennibus, quæ verno tempore circum agros & ſata, quæ in primis Dominicis menſium, anniuerſariæ, quæ feriis quartis & ſextis Quadrageſimæ, veſpertina in Feſto Aſſumptionis, & aliæ eiuſmodi, ſi quæ ſunt Eccleſiarum propriæ.

In poſteriori genere numerantur, quæ fiunt ad agendas Deo gratias pro ſingulari aliquo beneficio, pro pace, pro ſalubritate ſeu ſerenitate aëris, pro frugum vbertate & tempeſtiua maturitate, pro pluuia, pro obtinenda victoria, pro remiſſione peccatorum, in deportatione ſeu tranſlatione Reliquiarum, pro Iubilæo ſeu Indulgentiis, pro auerruncanda peſte & morbis popularibus: & cæteræ eiuſmodi, quæ, ſeu deuotionis, ſeu neceſſitatis cauſâ, quoquo modo extra ordinem celebrantur.

Tertium quoddam genus eſt earum, quæ legitimæ quidem ſunt, & ab Eccleſia conſtitutæ, ſed rarò accidunt; vt in Dedicatione Eccleſiæ, in collocatione primarij lapidis pro Eccleſia ædificanda, in aduentu Pontificis vel Regis, in receptione Epiſcopi, ſeu alterius cuiuſcumque viſitantis Eccleſias, & ſi quæ aliæ ſimiles.

Digitized by Google

De ratione & inſtitutione Proceſſionum.

CAPVT II.

Religioſa eſt omnis actio, quæ ſuſcipitur animo colendi Deum, & ei debitum honorem atque obſequium reddendi, quocumque tandem modo fiat: id eſt, ſiue interno tantùm affectu & meditatione concipiatur, ſiue externis & ſenſibilibus ſignis edatur; ſiue palàm & publicè, ſiue priuatim & ſecretò; ſiue in templo, ſiue in agris aut viis; ſiue hærendo in eodem veſtigio, ſiue progrediendo & locum mutando; ſiue ſtando, ſiue inſiſtendo genibus; ſiue laudando, ſiue confitendo; ſiue orando & inuocando; ſiue ſacrificando & offerendo; ſiue cantu, ſiue recitatione, aut aliis eiuſmodi reuerentiæ ac pietatis officiis, quæ corporis miniſterio & operatione exercentur: quam ſpeciem externi cultus Theologi proprio nomine Adorationem vocant. Itaque, ſi natura ipſa rei abſolutè ſpectetur, quàm antiqua eſt lex colendi Deum, tam antiqua eſt ratio eum colendi proceſſioni-

bus ac ſupplicationibus publicis, perinde atque aliis actibus piis ac religioſis: ex eodem enim omnes Religionis fonte manant, & ad eamdem Dei gloriam ſuaptè natura & inſtitutione referuntur: neque eſt aliud proceſſionem agere, quàm procedendo orare, vel orando procedere. Qua in re orationis vocabulum latè accipimus, prout complectitur, non ſolùm petitionem, ſeu poſtulationem & obſecrationem, ſed etiam laudem Dei, & gratiarum actionem. Quin hoc genus orandi vſque adeò proprium eſt Religioni, & quodammodò naturale, vt, quoties, ſiue in lege veteri, ſiue in Chriſti Eccleſia, publica aliqua neceſſitas incidit confugiendi ad Dei miſericordiam, aut cauſa interceſſit publicæ ſolennitatis ac lætitiæ celebrandæ, communi ſenſu omnium Deum colentium, ac velut natiuo quodam pietatis inſtinctu, fermè ſemper ad procedendi ritum concurſum fuerit.

Exodi c.15. etiam ante legem cæremonialem datam, Iſraëlitæ, attoniti miraculo tranſitus maris rubri, quo diuina virtute ex Ægyptiorum perſequentium manibus euaſerant, cùm gaudium animis continere non poſſent, vt ſcribit Philo Iudæus libro de vita Moſis, ſolo legis naturalis ductu, alternis choris virorum ac mulierum, illinc Moyſe

diuino ſpiritu præcinente, hinc Maria eius Sorore in ipſo littore ad quod appu:lerant cum exultatione procedentes, ac tripudiantes, laudis hymnos et gratiarum actionis Deo cecinerunt. Josue c. 6. ijdem Iſraelitæ Dei iuſsu Vrbem Jericho per ſeptem dies circumeunt, certo ordine ac ritu diuinitus praſcripto religioſe procedentes; Sacerdotibus alijs arcam defe:rentibus, alijs ante eam tubis Iubilei, quas ſeptuaginta Interpretes Sacras appellant, clan:gentibus; populo armato acie instructa ante Sacerdotes incedente, reliqua autem vulgi multitudine ſequente post Aream alto cum ſilentio more Sacrorum, et tacitis uotis Dei uirtutem implorante; quæ ſeptimo tandem die apparuit, muris obſeſſæ Vrbis ad ſonitum tubarum Sacerdotalium, et populi clamorem illicò omni ex parte collapsis. Lib. p.º Regum c. 10. Prophetarum agmen

4 psallens à templo procedit, præeuntibus
cantoribus, tympano, tibia, et cithara
canentibus, quibus Saul superueniens se
adiungit ex consilio Samuelis, ac diuino
spiritu incitatus, laudes Dei simul cum
illis eundo canere pergit. Lib. 1. Regum
c. 6. et 1. Paralip. c. 13 et apud Josephum
Lib. 7 antiquit. c. 4. indicto per Vniuersam
Judæam publico conuentu, Arca fœderis à
Sacerdotibus ex ædibus Abinadab elata,
solemni processione deducitur a Dauide, et
populo Israel à colle Cariathiarim in domum
Obededom nouo plaustro ad maiorem reue:
rentiam imposita, Ahio Leuita eius custode
præcedente, Oza uerò eiusdem fratre et ipso
Leuita, plaustrum regente, Rege autem, ac
populo ad numerum musici Concentus
saltantibus coram ea, in omni uirtute, et
Canticis et in cytharis, et psalterijs, et
tympanis, et cimbalis, et tubis, et tertio

mense

mense transacto, conuocato vniuerso populo Israel, eadem Arca pari Solemnitate humeris Leuitarum gestata perducitur in montem Sion, Dauid Rege accincto ephod lineo, et compositis motibus ad Sacrorum Carminum modulos Subsiliente; Septem Choris Sacerdotum ac Leuitarum per uarios ordines omni genere Musicorum Organorum personantibus, et Sexto quoque passu toto itinere Septenos tauros, et arietes immolantibus ut narrat Scriptura Lib. 2 Regum c. 6, et 1. Paralip. c. 15. et 16. Denique tertij Regu cap. 8; et 2 Paralip. c. 5. eadem Arca Simili processionis pompa transfertur e Ciuitate Dauid in templum recens ædificatum, frequenti populi et Principum Concursu, Sacerdotibus eam Consueto ritu portantibus Leuitis autem omnem armaturam tabernaculi, et Vasa Sanctuarij iuxta ordinem à Deo institutum deferentibus. Rex autem

9. Salomon (inquit Scriptura) et oīs multitudo Israel, quæ conuenerat ad eum gradiebatu cum illo ante Arcam, et immolabant oues et boues absque æstimatione, et numero et intulerunt Sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum in oraculum templi in Sanctum Sanctorum. Quam quidem processionem sic describit Josephus lib. 8. Antiquit. Judaic. c. 2. Tollentes igitur Arcam et tabernaculum, quod Moyses construxerat et omnia Vasa ad minis: terium Sacrificiorum Dei parata trans portauerunt in templum. Procedebant autem cum victimis, tum Rex, tum Uni: uersus populus et Leuitæ Libaminibus, et multo hostiarum sanguine uiam perfundentes, et infinitam uim odori mentorum adolentes, ut circumquaque

totu

totus aer repletus, etiam ad eos qui longè 9. 10
remoti erant, cum suauitate peruenirent
et notum faceret iuxta humanum sensum
Deum aduentare ad inhabitandum recens
extructum ac dedicatum sibi domicilium
Nam neque hymnos canentes, neque
choros agentes donec in templum uenerunt
defatigati sunt; Atque in hunc modum
arca est translata. Libro 2. Paralip.
c. 20 Cum nuntiatum esset Iosaphat
Regi Iuda, Moabitarum, et Ammonitarum
exercitum infestis signis ad se uenire,
Rex ipse timore perterritus totum se
contulit ad rogandum Dominum, et
prædicauit ieiunium Vniuerso populo
Iuda, Congregatusque est Iudas ad
deprecandum Dominum, sed et omnes
de vrbibus uenerunt ad obsecrandum eum

10 Cumque stetisset Josaphat in medio cœtu
populi in domo Domini, et longa oratione
Deum precatus esset, Jahaziel propheta
Deo inspirante ita locutus est: Nolite timere
nec paueatis hanc multitudinem, non enim ura
est pugna, sed Dei, cras egrediemini contra eos
et Dominus erit vobiscum. Postridie manè illis
instructa acie ad hostem pergentibus Josaphat statuit
cantores Dñi ut laudarent eum in turmis suis et ante:
cedentibus exercitum voce consona dicerent: Confi:
temini Dño quoniam in æternum misericordia eius.
Cumque cœpissent laudes canere vertit Dominus
insidias eorum in semetipsos, filiorum scilicet
Ammon et Moab, qui egressi fuerant ut pugnarent
contra Judam et percussi sunt, Die autem quarto
exercitu victore in valle benedictionis congregato
reversus est ôis vir Juda et habitatores Jerusalem
et Josaphat ante eos in Jerusalem cum lætitia magna
ingressique sunt in Jerusalem cum psalteriis
et cithanis, et tubis in domum Domini. Li:

bro

bro 2. Eſdræ, c. 12. poſt reditum populi Iudaici è captiuitate Babylonica, vrbe Ieruſalem, quæ euerſa fuerat, inſtaurata, Nehemias Dedicationem eius celebrauit hoc ritu. Sacerdotes & Leuitæ, ex omnibus locis ſuis euocati, cùm ritè mundati eſſent, populum quoque & portas & muros ſolenni ordine purificauerunt. Deinde, iis in duos magnos choros laudantium diuiſis, alter ad dextram, alter ex aduerſo ad ſiniſtram, procedentes, mœnia vndequaque obierunt, in actione gratiarum & cantico, & in cymbalis, pſalteriis, & citharis, & tubis; hos antecedente Eſdra, optimatibus autem & parte populi ſequentibus; illos verò ſequente ipſo Nehemia cum altera parte principum ac populi; donec tandem, ſibi inuicem occurrentes, peruenerunt in templum, vbi ſtantes mutuo concentu laudes Dei celebrauerunt, &, oblatis victimis, vota Dedicationis impleuerunt.

En igitur in veteri Teſtamento, variis temporibus, ante legem, & poſt legem, publicæ proceſſiones cum religione ſuſceptæ atque peractæ, ex mandato Dei, & conſilio ſeu denuntiatione Prophetarum ac ſanctorum virorum; en conuentus ad ſupplicandum publicè indicti, & ab omni genere hominum celebrati; en in procedendo certus

ordo, certíque ritus ac cæremoniæ; en preces, en hymni & cantica; en Sacerdotes & populi loco ac functione diſtincti; en cantus, & canentium chori diuerſi; en muſica inſtrumenta iis adhibita; en progreſſio continua, en ſtationes inter procedendum per interualla factæ; en ſupplicationes, aliæ incedentes directo itinere, aliæ per circuitum; en Arca fœderis cum reliquiis in ea recōditis à Sacerdotibus delata; en fercula vaſorū ſacrorum cum honore geſtata; en thurificationes, en ſacrificia; en ex templo diſceſſio ſupplicantium, en in templum commeatio ac reuerſio; en proceſſiones, aliæ in gratiarum actionem inſtitutæ, aliæ ad Reliquiarum tranſlationem, aliæ ad celebritatem Dedicationis, aliæ ad propulſandam vim hoſtium; en ante proceſſionem præmiſſæ expiationes & purificationes, tum perſonarum, tum locorum, ex aqua ſcilicet aſperſionis, de qua Numerorum c. 19. Quid igitur in noſtris proceſſionibus deſiderari poteſt, quod non habeat in ſacris literis, aut inſtitutionem, aut exemplum?

Habet verò etiam inſignem quandam ſpeciem proceſſionis eccleſiaſticæ egreſſio illa populi Ieroſolymitani in occurſum Domini Seruatoris, quæ deſcribitur Matth. c. 21. Marci 11. Lucæ 19. & Ioan. 12. Quam-

uis enim neque auctoritate publica facta fuerit, neque certo conſilio aut condicta, aut indicta: tot tamen circumſtantiis illuſtrata fuit, vt hoc nomine non incongruè poſsit appellari. Et certè ita eam appellauit, procedendíque rationem expoſuit, S. Bernardus in tribus Sermonibus de Dominica in Ramis Palmarum. Etenim concurſus ille publicus omnis generis hominum, effundentis ſe extra ciuitatem; feſtiua omnium alacritas; ordo, aliorum antecedentium Chriſtum, aliorum ſequentium; ſolum ramis virentibus & veſtibus occurrentium conſtratum; palmæ & oliuæ in manibus; concentus turbarum gaudentium laudare Deum voce magna; deductio Chriſti in tẽplum; acclamationes illæ, tum per viam, tum in templo, quæ & preces & laudes Dei continebant, *Hoſanna filio Dauid, Benedictus qui venit rex in nomine Domini, hoſanna in altiſsimis, pax in cœlo, & gloria in excelſis;* nonne hæc omnia magis religioſæ pompæ, quàm officioſæ ſalutationis, ſignificationem præferunt? Certè ex imitatione huius occurſus in conſuetudinem venit, vt Eccleſia obuiam prodiens aduenientibus Regibus, Legatis, Epiſcopis, Archidiaconis, & aliis viſitationis officio fungentibus, eos proceſsionaliter excipiat.

Preclarè Tertullianus in Apologetico, c. 39. *Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere: coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum, quaſi manu facta, precationibus ambiamus orantes.* Cùm enim Eccleſia ſit corpus religionis viſibile, poſtulat ratio cultus diuini, ad quem ordinatur, & fœdus illud ſanctæ ſocietatis, quam inter ſe habent omnia eius membra, vt ſæpe fideles in vnum conueniant, coniunctis votis, & communibus pietatis officiis, Deum vnanimiter veneraturi, aſpectabili ritu in mutuam ædificationem. Vnde, quemadmodum in ipſo ſui ortu atque exordio omne religionis exercitium in conuentibus celebrandis poſuit: ita loca ipſa, ad quæ fideles orandi & adorandi cauſâ conueniebant, iam tum Eccleſiarum, id eſt conuentuum, nomine appellauit. Conuentus autem Chriſtianorum ad ſacra & preces in duplici ſunt genere: alij ſtatarij, quibus in eodem loco conſiſtendo oratur, vnde iis in primitiua Eccleſia, Stationum appellatio tributa eſt: alij verò ambulatorij, in quibus ſupplicationes fiunt eundo & progrediendo; vnde Proceſſiones nominantur: nam & hæ conuentus Eccleſiæ dicuntr à S. Auguſtino

Serm. 173. de tempore, et à Cæsario Are=
latensi Homil. 33. de Litania. At primis
quidem temporibus in usu fuerunt tantùm
census stataris: quia, propter persecutiones
Gentilium non poterant Christiani in pu=
blicum cum apparatu, et pompa Religionis
prodire. Ex quo factum est ut, quemad=
modum publicè templa non habuerunt,
donec Constantini lege licuit eis publicos
conventus Christiano ritu agere; ita ad
id usque tempus processiones publicas ce=
lebrare non potuerint. Sed ab eo tempo=
re frequens, et celebris earum apud omnes gentes
usus fuit ut passim tum Græcorum tum Latinorum historiæ
testatum faciunt. Et credibile est, Dedicatione no=
væ Romæ, seu Constantinopolis, non aliter factam ab
Eius, quos ipse Constantinus ea causa è Concilio
Tyrio advocavit, apud Nicephorum lib. 8. hist. Eccl.
c. 26. quam solenni ordine processionis urbis mu=
ros circumeundo ad exemplum Dedicationis urbis
Jerusalem lib. 2. Esdræ c. 12. qui est legitimus, et ab
Ecclesia usitatus ritus dedicationis, ut cernere est
in exemplo Civitatis Leoninæ apud Anastasium
Bibliotecarium in Leone 4. et patet ex Ordine

Romano, ex Pontificali, et perpetuo usu omnium Sæculorum.

Certè antiquissimæ fuerunt illæ Festorum Solemnium ad Ecclesiam in qua habebatur Statio de quibus scribit Ordo Romanus c. 1. 3. et 4. et in Purificatione B. V. Mariæ et in die Sancto Paschæ, quarum forma nobis refertur in senius c. 15. Et harum similitudinem gerunt quæ diebus Dominicis, et Festis solenni more fiunt ante Missam publicam, et quæ vulgò diriguntur ad eas Ecclesias, in quibus celebratur aliqua solennitas, vel Statio Indulgentiarum; cuiusmodi est illa cuius meminit S. Ambrosius epist. 29. processio Monachorum qui, pro libentibus iter Valentiniani Psalmos canentes ex consuetudine usuque veteri, pergebant ad celebritatem Machabæorum Martyrum. Antiquissimæ quoque, quæ imperantibus Juliano, Theodosio utroque, Arcadio et Martiano, factas memorant Scriptores historiæ Ecclesiasticæ varijs locis: itemque quæ in Actis Concilij Ephesini reservatur, tomo 1. c. 19. et de quibus Sanctione facit Justinianus Novella 123. de Sanctissimis Epis: itemque illæ quarum meminit S. Augustinus lib. 22. de Ciuitate Dei, c. 8. et serm. 12. de tempore, et S. Leo epist. 81. c. 1. Antiquissima Litania minor, quam Ado Viennensis in Chronico institutam scribit circa annum

annum Domini 452. Antiquiſſima Litania maior, quæ S. Gregorium Magnum habet auctorem.

Quarum omnium exemplis inſiſtentes poſteriorum ætatum paſtores & populi, eandem religionem ſupplicandi ad nos vſque perpetua ſucceſſione tranſmiſerunt. Nam, vt omittam eas ſupplicationes quæ ſingulis Feſtis ratione myſteriorum adiunctæ ſunt, & quæ ſtatis diebus quotannis renouantur; in more ſemper fuit, vt in publicis gratiarum actionibus, & aliis eiuſmodi celebritatibus, atque adeo in communibus periculis, calamitatibus, & neceſsitatibus, ad hoc genus orandi confugeretur: in tranſlatione & deportatione ſanctarum Reliquiarum, apud Socratem Eccleſ. hiſt. lib. 2. c. 16. Theodoretum lib. 3. c. 9. Sozomenum lib. 5. c. 18. & lib. 7. c. 10. Euagrium lib. 1. c. 16. S. Hieronymum libro aduerſus Vigilantium, S. Auguſtinum dicto libro 22. de Ciuit. c. 8. in Concilio Nicæno ſecundo, Actione 4. apud Gregorium Turonenſem lib. 4. hiſt. Franc. c. 40. & lib. 1. de gloria Mart. c. 44. & paſsim in Vitis Sanctorum apud Surium: ad venerationem ſanctæ Crucis, apud Euagrium lib. 4. c. 25. & Nicephorum lib. 17. c. 15. Codinum de offic. Conſtant. c. 5. Nicephorum Gregoram lib. 8. in Meno-

logio Græcorum prima die Auguſti: ad placandam iram principis, apud Nicephorum lib.12. c.43: ad ſedandam peſtem, apud Euſtathium in vita S. Eutychij, Gregorium Turonenſem lib.4. hiſt. Franc. c.5: pro obtinenda pluuia, apud Cyrillum in Actis vitæ S. Euthymij, & Marcum Gazæum in vita S. Porphyrij: pro ſerenitate aëris, apud Socratem lib.7.c.22. Nicephorum lib.14.c. 3. Anaſtaſium Bibliothecarium in Adeodato: contra inundationes fluminum, apud eumdem Anaſtaſium in Gregorio ſecundo: ad compeſcendum terræ motum, apud Nicephorum lib. 14. c.46: contra hoſtes imminentes, apud Euagrium lib.4. c.25. Rufinum lib.2.c.33. Sidonium lib.7 epiſt. ep. 1. Sanctum Gregorium Magnum ep. 45. lib. 9: in obſidione vrbis, apud Gregorium Turonenſem lib.3. hiſt. Franc.c.29. & in Triodio Græcorum: in collocandis fundamentis Eccleſiæ vel Monaſterij, Iuſtiniani Nouella 67. & apud Marcum Gazæum loco citato: in ſolennitate Dedicationis, apud Cedrenum in Iuſtiniano, & Anaſtaſium Bibliothecarium in Leone quarto: aduerſus hæreticos, apud Socratem lib.6.c.8. Sozomenum lib.8. c.8. & Nicephorum lib. 13. c.8.

De ordine & apparatu Proceſsionum.

CAPVT III.

ECcleſia, cùm ſit acies Dei viuentis, tunc maximè debet eſſe ordinata, cùm inſtructo agmine procedit ac progreditur; non tantùm ad ſpeciem & decorem diuini cultus, quem celebrat, aut dignitatem ſponſæ, quæ *progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol*; ſed etiam ad ædificationem videntium, & terrorem inimicorum, aduerſus quos pugnam inſtituit cùm ſupplicationes publicas obit; vt appareat in conſpectu eorum *terribilis velut caſtrorum acies ordinata.* Idcirco, quem ordinem tenet in templis, vbi ſtatarij cœtus religionis causâ celebrantur, eumdem in proceſsionibus, ſeu extra templa, ſeruare conſueuit. Templa autem Chriſtiana tribus omnino partibus conſtant; Sanctuario ſeu Altari, in quo præſentia diuinæ maieſtatis exhibetur; Choro, in quo Sacerdotes & clerici laudes Dei hymnis aſsiduis celebrant ad imitationem cæleſtium ſpirituum, & preces pro vniuerſo populo fundunt;

naui, qui populi orantis locus eſt. Sic proceſsio velut templi ambulantis ſpeciem habet. In primæ acie ſunt cruces pro Sanctuario, quas qui ſequuntur intuentes, in Chriſto crucifixo Deum præſentem cernunt, vt cum modeſtia ac deuotione incedant, & eum ſanctè ac reuerenter adorent. In ſecunda acie collocatur robur exercitus, nempe Sacerdotum & Eccleſiaſticorum miniſtrorum turmæ: qui duplici ordine diſtincti, laudes Dei, tum alternis, tum coniunctis vocibus modulantur, &, quaſi interuentores medij inter Deum & populum, huius vota & preces offerunt. Extremum agmen claudunt laici vtriuſque ſexus, ſilentio orantes. De Sanctuario primo loco dicendum.

Crux (inquit Durandus lib. 4. Rational. c. 6.) *quaſi regale vexillum, & triumphale ſignum, in proceſsionibus præmittitur: primò, vt fugiant qui oderunt eum à facie eius, Pſal. 67. Eſt enim ſignum victoriæ Chriſti, iuxta illud, Vexilla regis prodeunt, quo Dæmones victi ſunt, vnde illo viſo timent & fugiunt: & propter hoc in quibuſdam locis tempeſtatibus aëris opponitur, vt Dæmones fugiant, & ab aëris concitatione deſiſtant.* Et paucis interiectis: *Secundò crucis vexillum præmittitur, quia, ſicut ait Apoſtolus ad Galatas, Abſit nobis gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu*

Chriſti,per quem mundus nobis, & nos mundo crucifigi debemus. Addo & tertiam rationem: quia, cum proceſsio Eccleſiam in hoc mundo peregrinantem & militantem ſignificet, æquum eſt eam ſub Chriſti Imperatoris ſignis ad bellum procedere, cuius auſpiciis militat. Eâ de cauſa, ex quo per legem Conſtantini Magni licuit Chriſti militibus copias ſuas in publicum explicare, & aperta fidei profeſsione pro gloria Crucifixi dimicare, præferri cœperunt cruces pro ſignis in omnibus proceſsionibus eccleſiaſticis. Cauſam huic rei dedit victoria eiuſdem Conſtantini de Maxentio; eadem quæ Imperium ex Gentili Chriſtianum fecit. Cùm enim ille conſilium cepiſſet Romæ à tyrannide Maxentij, & aliorum à quibus opprimebatur, vindicandæ; & ſuperiorum Imperatorum, qui Deorum multitudinem coluerant, omnes ea in re tentanda conatus irritos ceſsiſſe animaduerteret; ad vnicum Deum, quem pater Conſtantius coluerat, confugiendum ſibi eſſe duxit. Itaque eum obteſtatus, vt qui eſſet ſibi ſignificaret, opémque ad rem conficiendam præberet; claro meridie vidit in cœlo crucis ſignum admirabili quodam ſplendore ſupra ſolis orbem affulgens, inque eo hæc verba Græcis literis inſcripta, ἐν τούτῳ νίκα, *In hoc vin-*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ce. Quo viſo anxius cùm ſuperueniente nocte obdormîſſet, Chriſtus ei ſecundum quietem apparuit, cum eodem ſigno quod ipſe per diem in cœlo erat conſpicatus: iuſſítque eiuſdem effigiem in bello deferre, quoties ſignis collatis eſſet cum hoſte dimicaturus. Qui, vt primùm illuxit, accerſitis præſtantiſſimis artificibus, crucem ad illius cæleſtis ſimilitudinem, intexto auro, & gemmis inſertis, fieri iuſſit in hanc ſpeciem. Haſtile erat oblongum, auro vndique obductum, tranſuerſo ligno in modum crucis impoſito: in cuius ſummo faſtigio corona eminebat ex auro & lapillis pretioſis affabrè implexa, in qua ſalutare Chriſti nomen, duabus primis literis X & P inter ſe conſertis expreſſum, cernebatur: ex tranſuerſario autem ligno appenſum erat velum quoddam purpureum, admirabili textura lapillorum varij generis, inductóque auro refulgens; de quo Prudentius lib. 1. contra Symmachum,

Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum:

huic enim vexillo labaro nomen fuit. Atque, hoc ſigno deinceps Imperator, táquam munimento firmiſſimo, aduerſus omnem vim hoſtilem vſus eſt, ad eiúſque ſimilitu-

dinem facta vexilla omnibus exercitibus ſuis præferri ſanxit; vt refert oculatus teſtis Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini, c.20. 21. 22. 23. 24. & 25. & apud Surium Acta martyrij S. Artemij, qui & ipſe rei gerendæ interfuit.

Ex illo tempore, non tantùm crux vexillifera ad modum labari, ſed etiam aliæ cruces argenteæ proceſſionibus ſacris, tanquam propria Chriſtianæ militiæ ſigna, præferri conſueuerunt; vexillo ſcilicet in locum labari, crucibus argenteis in locum aquilarum argentearum ſuccedentibus, quæ erant militaria ſigna legionum Romanarum. Legitur eius rei exemplum in proceſſionibus à S. Ioanne Chryſoſtomo inſtitutis contra Arianos paucis annis poſt Conſtantinum, apud Socratem lib. 6. c. 8. Sozomenum lib. 8. c. 8. Nicephorum lib. 13. c. 8. & in proceſſionibus S. Porphyrij Epiſcopi Gazenſis, in eius vita ſcripta à Diacono ſuo Marco apud Surium in Februario; in vita Theodori Archimandritæ per Georgium presbyterum, vbi refertur eam eſſe conſuetudinem Eccleſiaſticam; in Concilio Nicæno ſecundo, Actione 4. in antiquo Concilio Nannetenſi, c. 5. in Iuſtiniani Nouella 123. c. 32. apud Gregorium Turonenſem libro de vitis Patrum, c. 7. lib. 1. de

gloria Martyrum, c. 44. & de gloria Conf. c. 79. ac deinceps in ſubſequentium ſæculorum Scriptoribus. In Eccleſia Andegauenſi nonnumquam præferuntur duæ cruces: in proceſsionibus S. Marci, & Rogationum, aliiſque inſignioribus tres.

Neque verò proceſſionum Sanctuarium ſola cruce ſacratum eſt: ſed, quemadmodum olim in Arca Sanctuarij Moſaïci reconditæ erant legis diuinæ tabulæ (lib. 3. Regum, c. 8. & Epiſt. ad Hebræos c. 9.) atque eæ circumferebantur ſimul cum Arca in publicis eius deductionibus; ita ex vetere Eccleſiæ inſtituto liber legis gratiæ, id eſt, ſacri Euangelij, religioſè defertur à Diacono poſt crucem in proceſsionibus Chriſtianis; vt pro teſtimonio antiquitatis habetur multis locis in Ordine Romano, in exemplo S. Porphyrij loco citato, vbi Epiſcopus ipſe Euangelium geſtat, apud Hincmarum in vita S. Remigij, apud Codinum lib. de offic. Conſtant. c. 1. vbi *Præfectus Euangelio* appellatur is, qui tenet Euangelium ad publicas ſupplicationes, & c. 10. vbi Archidiaconus gerit Euangelium in proceſſione Palmarum; & eius rei hîc exempla ſunt c. 4. & 10. Conſuetudo eſt apud nos, vt in celebrioribus proceſsionibus generalibus ciuitatis, non tantum Eccleſia Andegauenſis, ſed

ſingulæ Collegiatæ, vt propriam crucem, ita & proprium Euangelium præferant.

Adduntur etiam ſæpe in proceſsionibus Reliquiæ Sanctorum, præcipuè in ſolennioribus, tum ordinariis, tum indictiuis: vt cernere eſt in Ordine Romano, & Antiphonario S. Gregorij; & exempla ſunt in proceſsionibus S. Porphyrij ſuprà, & apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Confeſſ. c. 79. & paſsim apud Auctores. Sed Concilium Mediolànenſe quartum, c. *Quæ ad ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*, vetat eas deferri in ſolenni illa proceſsione, in qua ſanctiſsimum Domini Corpus religioſo cultu circumgeſtatur: ne ſcilicet eas plebs imperita pro ſanctiſsimo Sacramento, vel eodem honore quo ſanctiſsimum Sacramentum, imprudens veneretur.

Crucem antecedunt cerei ardentes, ex antiquo more Eccleſiæ, vt conſtat ex proceſsionibus S. Ioannis Chryſoſtomi, & Gregorio Turonenſi, lib. 1. de glor. Mart. c. 44. & 51. non tātùm ad honorem ſanctæ Crucis, cuius virtus toti mundo illuxit, ſed præcipuè propter Euangelium quod ſequitur. Eſt enim Chriſtianis in via ad patriam, cuius ſymbolum eſt proceſsio, Crux pro duce, Euangelium, id eſt, doctrina Chriſti, pro

libus conueniendi ad ſacra & orationem publicam. In Concilio Nicæno ſecundo, in celebri illa proceſſione tranſlationis reliquiarum S. Anaſtaſij Martyris, quam ſuperiùs inſinuauimus, ſigna pulſantur, non ærea, ſed lignea, quæ ibi appellantur *ligna ſacra*, cuiuſmodi illa ſunt quibus vtimur in diebus tenebrarum: & huiuſmodi ſignorum ligneorum dicitur vſus etiamnum perſeuerare in Eccleſia Græca, de quo Amalarius lib. 4. de Eccleſiaſt. offic. c. 21. *Adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus ſub vno Domino cum antiqua Roma regebatur, vſum lignorum tenet, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem.*

Portatur etiam aliquibus in locis Draconis effigies ſimul cum cruce & vexillo in quibuſdam proceſſionibus, vt putà in Litania maiore & Rogationibus: pro qua laborant nonnulli vt myſticas explicationes comminiſcantur. Sed nimis quàm probabile eſt mea quidem ſententia, iſtius generis ferculum obrepſiſſe in ſupplicationes publicas, errore vulgi magis, quàm certa illa ratione, aut inſtitutione Eccleſiaſtica. Neque enim, ſi tale portentum auctoritate Eccleſiæ introductum foret, ad ſignificandum (vt fabulantur) Dæmonem à Chriſto deuictum, ſublimis & elatus portandus eſſet

Draco, hianti ore & minaci quaſi victor, aut floribus & ſertis redimitus quaſi ſacra quæpiam & veneranda imago; ſed terræ afflictus ad pedes Crucifixi, ad eum modum quo ſub pedibus calcantis & proterentis Michaëlis Archangeli effingi in templis ſolet: vel quo Conſtantinus imaginem ſuam in tabula depictam pro foribus palatij propoſuit, victrici ſigno crucis in vertice capitis prominente, ſub pedibus autem ſtrato Dracone, labari cuſpide transfixo, & fluctibus obruto: qua deſcriptione ſymbolicè adumbrabatur, Draconem antiquum, Idololatriæ principem, ab ipſo Conſtantino virtute crucis proſtratum, confoſſum, & ſubmerſum fuiſſe, iuxta prophetiam Iſaiæ c. 27. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leviathan ſerpentem vectem* (id eſt, in longum protenſum inſtar vectis) *& ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum: & occidet eum qui in mari eſt.* Ad quam imaginem alluſit Prudentius libro περὶ ϛεφάνων, Hymno 1. loquens de duobus Draconariis, qui è militibus Gentilium Chriſtiani facti, crucem in exercitu pro Dracone ferebant, his verſibus:

Próque ventoſis Draconum, quos gerebant, pallijs,

logio Græcorum prima die Auguſti: ad placandam iram principis, apud Nicephorum lib.12. c.43: ad ſedandam peſtem, apud Euſtathium in vita S. Eutychij, Gregorium Turonenſem lib.4. hiſt. Franc. c.5: pro obtinenda pluuia, apud Cyrillum in Actis vitæ S. Euthymij, & Marcum Gazæum in vita S. Porphyrij: pro ſerenitate aëris, apud Socratem lib.7. c.22. Nicephorum lib.14. c. 3. Anaſtaſium Bibliothecarium in Adeodato: contra inundationes fluminum, apud eumdem Anaſtaſium in Gregorio ſecundo: ad compeſcendum terræ motum, apud Nicephorum lib. 14. c.46: contra hoſtes imminentes, apud Euagrium lib.4. c.25. Rufinum lib.2. c.33. Sidonium lib.7 epiſt. ep. 1. Sanctum Gregorium Magnum ep.45. lib. 9: in obſidione vrbis, apud Gregorium Turonenſem lib.3. hiſt. Franc. c.29. & in Triodio Græcorum: in collocandis fundamentis Eccleſiæ vel Monaſterij, Iuſtiniani Nouella 67. & apud Marcum Gazæum loco citato: in ſolennitate Dedicationis, apud Cedrenum in Iuſtiniano, & Anaſtaſium Bibliothecarium in Leone quarto: aduerſus hæreticos, apud Socratem lib.6. c.8. Sozomenum lib.8. c.8. & Nicephorum lib. 13. c.8.

De ordine & apparatu Proceſsionum.

CAPVT III.

ECcleſia, cùm ſit acies Dei viuentis, tunc maximè debet eſſe ordinata, cùm inſtructo agmine procedit ac progreditur; non tantùm ad ſpeciem & decorem diuini cultus, quem celebrat, aut dignitatem ſponſæ, quæ *progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol*; ſed etiam ad ædificationem videntium, & terrorem inimicorum, aduerſus quos pugnam inſtituit cùm ſupplicationes publicas obit; vt appareat in conſpectu eorum *terribilis velut caſtrorum acies ordinata*. Idcirco, quem ordinem tenet in templis, vbi ſtatarij cœtus religionis causâ celebrantur, eumdem in proceſsionibus, ſeu extra templa, ſeruare conſueuit. Templa autem Chriſtiana tribus omnino partibus conſtant; Sanctuario ſeu Altari, in quo præſentia diuinæ maieſtatis exhibetur; Choro, in quo Sacerdotes & clerici laudes Dei hymnis aſsiduis celebrant ad imitationem cæleſtium ſpirituum, & preces pro vniuerſo populo fundunt;

Digitized by Google

naui, qui populi orantis locus eſt. Sic proceſsio velut templi ambulantis ſpeciem habet. In prima acie ſunt cruces pro Sanctuario, quas qui ſequuntur intuentes, in Christo crucifixo Deum præſentem cernunt, vt cum modeſtia ac deuotione incedant, & eum ſanctè ac reuerenter adorent. In ſecunda acie collocatur robur exercitus, nempe Sacerdotum & Eccleſiaſticorum miniſtrorum turmæ: qui duplici ordine diſtincti, laudes Dei, tum alternis, tum coniunctis vocibus modulantur; &, quaſi interuentores medij inter Deum & populum, huius vota & preces offerunt. Extremum agmen claudunt laici vtriuſque ſexus, ſilentio orantes. De Sanctuario primò loco dicendum.

Crux (inquit Durandus lib. 4. Rational. c. 6.) *quaſi regale vexillum, & triumphale ſignum, in proceſsionibus præmittitur: primò, vt fugiant qui oderunt eum à facie eius, Pſal. 67. Eſt enim ſignum victoriæ Chriſti, iuxta illud, Vexilla regis prodeunt, quo Dæmones victi ſunt, vnde illo viſo timent & fugiunt: & propter hoc in quibuſdam locis tempeſtatibus aëris opponitur, vt Dæmones fugiant, & ab aëris concitatione deſiſtant.* Et paucis interiectis: *Secundò crucis vexillum præmittitur, quia, ſicut ait Apoſtolus ad Galatas, Abſit nobis gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu*

Chriſti,per quem mundus nobis, & nos mundo crucifigi debemus. Addo & tertiam rationem: quia, cùm proceſsio Eccleſiam in hoc mundo peregrinantem & militantem ſignificet, æquum eſt eam ſub Chriſti Imperatoris ſignis ad bellum procedere, cuius auſpiciis militat. Ea de cauſa, ex quo per legem Conſtantini Magni licuit Chriſti militibus copias ſuas in publicum explicare, & aperta fidei profeſsione pro gloria Crucifixi dimicare, præferri cœperunt cruces pro ſignis in omnibus proceſsionibus eccleſiaſticis. Cauſam huic rei dedit victoria eiuſdem Conſtantini de Maxentio, eadem quæ Imperium ex Gentili Chriſtianum fecit. Cùm enim ille conſilium cepiſſet Romæ à tyrannide Maxentij, & aliorum à quibus opprimebatur, vindicandæ; & ſuperiorum Imperatorum, qui Deorum multitudinem coluerant, omnes ea in re tentanda conatus irritos ceſsiſſe animaduerteret; ad vnicum Deum, quem pater Conſtantius coluerat, confugiendum ſibi eſſe duxit. Itaque eum obteſtatus, vt qui eſſet ſibi ſignificaret, opémque ad rem conficiendam præberet; claro meridie vidit in cœlo crucis ſignum admirabili quodam ſplendore ſupra ſolis orbem affulgens, inque eo hæc verba Græcis literis inſcripta, *ἐν τούτῳ νίκα, In hoc vin-*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

ce. Quo viſo anxius cùm ſuperueniente nocte obdormîſſet, Chriſtus ei ſecundum quietem apparuit, cum eodem ſigno quod ipſe per diem in cœlo erat conſpicatus: iuſſítque eiuſdem effigiem in bello deferre, quoties ſignis collatis eſſet cum hoſte dimicaturus. Qui, vt primùm illuxit, accerſitis præſtantiſſimis artificibus, crucem ad illius cæleſtis ſimilitudinem, intexto auro, & gemmis inſertis, fieri iuſſit in hanc ſpeciem. Haſtile erat oblongum, auro vndique obductum, tranſuerſo ligno in modum crucis impoſito: in cuius ſummo faſtigio corona eminebat ex auro & lapillis pretioſis affabrè implexa, in qua ſalutare Chriſti nomen, duabus primis literis X & P inter ſe conſertis expreſſum, cernebatur: ex tranſuerſario autem ligno appenſum erat velum quoddam purpureum, admirabili textura lapillorum varij generis, inductóque auro refulgens; de quo Prudentius lib. 1. contra Symmachum,

Chriſtus purpureum, gemmanti textus in auro,
Signabat labarum:

huic enim vexillo labaro nomen fuit. Atque, hoc ſigno deinceps Imperator, tãquam munimento firmiſſimo, aduerſus omnem vim hoſtilem vſus eſt, ad eiuſque ſimilitu-

dinem facta vexilla omnibus exercitibus ſuis præferri ſanxit; vt refert oculatus teſtis Euſebius lib. 1. de vita Conſtantini, c. 20. 21. 22. 23. 24. & 25. & apud Surium Acta martyrij S. Artemij, qui & ipſe rei gerendæ interfuit.

Ex illo tempore, non tantùm crux vexillifera ad modum labari, ſed etiam aliæ cruces argenteæ proceſſionibus ſacris, tanquam propria Chriſtianæ militiæ ſigna, præferri conſueuerunt; vexillo ſcilicet in locum labari, crucibus argenteis in locum aquilarum argentearum ſuccedentibus, quæ erant militaria ſigna legionum Romanarum. Legitur eius rei exemplum in proceſſionibus à S. Ioanne Chryſoſtomo inſtitutis contra Arianos paucis annis poſt Conſtantinum, apud Socratem lib. 6. c. 8. Sozomenum lib. 8. c. 8. Nicephorum lib. 13. c. 8. & in proceſſionibus S. Porphyrij Epiſcopi Gazenſis, in eius vita ſcripta à Diacono ſuo Marco apud Surium in Februario; in vita Theodori Archimandritæ per Georgium presbyterum, vbi refertur eam eſſe conſuetudinem Eccleſiaſticam; in Concilio Nicæno ſecundo, Actione 4. in antiquo Concilio Nannetenſi, c. 5. in Iuſtiniani Nouella 123. c. 32. apud Gregorium Turonenſem libro de vitis Patrum, c. 7. lib. 1. de

gloria Martyrum, c. 44. & de gloria Conf. c. 79. ac deinceps in ſubſequentium ſæculorum Scriptoribus. In Eccleſia Andegauenſi nonnumquam præferuntur duæ cruces: in proceſsionibus S. Marci, & Rogationum, aliiſque inſignioribus tres.

Neque verò proceſſionum Sanctuarium ſola cruce ſacratum eſt: ſed, quemadmodum olim in Arca Sanctuarij Moſaïci reconditæ erant legis diuinæ tabulæ (lib. 3. Regum, c. 8. & Epiſt. ad Hebræos c. 9.) atque eæ circumferebantur ſimul cum Arca in publicis eius deductionibus; ita ex vetere Eccleſiæ inſtituto liber legis gratiæ, id eſt, ſacri Euangelij, religiosè defertur à Diacono poſt crucem in proceſsionibus Chriſtianis: vt pro teſtimonio antiquitatis habetur multis locis in Ordine Romano, in exemplo S. Porphyrij loco citato, vbi Epiſcopus ipſe Euangelium geſtat, apud Hincmarum in vita S. Remigij, apud Codinum lib. de offic. Conſtant. c. 1. vbi *Præfectus Euangelio* appellatur is, qui tenet Euangelium ad publicas ſupplicationes, & c. 10. vbi Archidiaconus gerit Euangelium in proceſſione Palmarum; & eius rei hîc exempla ſunt c. 4. & 10. Conſuetudo eſt apud nos, vt in celebrioribus proceſsionibus generalibus ciuitatis, non tantùm Eccleſia Andegauenſis, ſed

ſingulæ Collegiatæ, vt propriam crucem, ita & proprium Euangelium præferant.

Adduntur etiam ſæpe in proceſsionibus Reliquiæ Sanctorum, præcipuè in ſolennioribus, tum ordinariis, tum indictiuis: vt cernere eſt in Ordine Romano; & Antiphonario S. Gregorij; & exempla ſunt in proceſsionibus S. Porphyrij ſuprà, & apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Confeſſ. c. 79. & paſsim apud Auctores. Sed Concilium Mediolanenſe quartum, c. *Quæ ad ſanctiſsimum Euchariſtiæ Sacramentum pertinent*, vetat eas deferri in ſolenni illa proceſsione, in qua ſanctiſsimum Domini Corpus religioſo cultu circumgeſtatur: ne ſcilicet eas plebs imperita pro ſanctiſsimo Sacramento, vel eodem honore quo ſanctiſsimum Sacramentum, imprudens veneretur.

Crucem antecedunt cerei ardentes, ex antiquo more Eccleſiæ, vt conſtat ex proceſsionibus S. Ioannis Chryſoſtomi, & Gregorio Turonenſi, lib. 1. de glor. Mart. c. 44. & 51. non tantùm ad honorem ſanctæ Crucis, cuius virtus toti mundo illuxit, ſed præcipuè propter Euangelium quod ſequitur. Eſt enim Chriſtianis in via ad patriam, cuius ſymbolum eſt proceſsio, Crux pro duce, Euangelium, id eſt doctrina Chriſti, pro

luce præeunte; ne à recto itinere, aut propria ignorantia, aut occurrentium viarum, id eſt conſiliorum ambiguitate, aut mundi illecebris, aut peruerſorum hominum ſeductione, aberrent. Et crux quidem præit, velut exemplar praxis Euangelicæ doctrinæ, *ſtans in ſignum populorum*, iuxta prophetiam Iſaiæ c. 11: vt qui ſubſequuntur omnes intelligant Chriſtum ex ea, tanquam ex cathedra, docentem, *Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*: hæc enim eſt recta & compendiaria via ad ſalutem, & ſumma perfectionis Chriſtianæ. Quò forſan reſpexerunt, qui olim cereos & lucernas ipſi Cruci impoſitas tulerunt in proceſſionibus, vt videre eſt in iis quas retulimus de S. Ioanne Chryſoſtomo, & apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Confeſſ. c. 79. Et ad hanc ſignificationem ſpectat mos antiquus Græcæ Eccleſiæ apud Codinum libro cit. c. 12. quo, in Officio veſpertino Vigiliæ ſanctæ Paraſceues, quod ad paſſionem Domini pertinet, dum leguntur duodecim Euangelia, Imperator & aulici omnes cereos ardentes manibus geſtant. Huc referenda eſt explicatio quæ habetur inferiùs c. 5. & 6. de cereis Euangelio prælucentibus.

Præfertur cereis vas aquæ benedictæ

eum aſperſorio, ex conſtitutione Concilij Nannetenſis, c. 5: vt eius aſperſione purificetur obuius quiſque, & ſimul loca per quæ tranſitur, ad effugandam omnem poteſtatem inimici. Ideo, quemadmodum in templis ad oſtium collocatur labrum aquæ benedictæ, vt qui ad ſacra veniunt, in ipſo aditu ſanctificentur: ita in fronte & quaſi veſtibulo proceſſionum præfertur aquamanile ſacrum, vt qui ſe per viam ſupplicantibus volunt adiungere, eius aquæ luſtratione priùs expientur.

Campanulæ manuales ex ære, quæ ante ſigna clangere ſolent, tubarum argentearum veteris Teſtamenti locum tenent; quarum vſus erat ad conuocandum populum, & dandum ſignum profectionis quoties caſtra mouenda eſſent, Numer. c. 10. Et certè forma non abſimili conflatæ ſunt, ſi attendatur deſcriptio tubarum illarum, quæ habetur apud Ioſephum lib. 3. Antiquit. c. 11. Hæ verò ſignificant præcones Euangelicæ veritatis, ſiue diuini verbi prædicatores, qui ſono vocis ſuæ ad fidem & Eccleſiæ congregationem quoſlibet obuios vocant: & in proceſſionibus pulſantur, vt qui earum ſonum audierint, ad ſupplicandum ſimul cum aliis inuitentur, ſicut illæ quæ in templorum turribus ſuſpenſæ ſignum dant fide-

libus conueniendi ad ſacra & orationem publicam. In Concilio Nicæno ſecundo, in celebri illa proceſſione tranſlationis reliquiarum S. Anaſtaſij Martyris, quam ſuperiùs inſinuauimus, ſigna pulſantur, non ærea, ſed lignea, quæ ibi appellantur *ligna ſacra*, cuiuſmodi illa ſunt quibus vtimur in diebus tenebrarum: & huiuſmodi ſignorum ligneorum dicitur vſus etiamnum perſeuerare in Eccleſia Græca, de quo Amalarius lib. 4. de Eccleſiaſt. offic. c. 21. *Adhuc iunior Roma, quæ antiquis temporibus ſub vno Domino cum antiqua Roma regebatur, vſum lignorum tenet, non propter æris penuriam, ſed propter vetuſtatem.*

Portatur etiam aliquibus in locis Draconis effigies ſimul cum cruce & vexillo in quibuſdam proceſſionibus, vt putà in Litania maiore & Rogationibus: pro qua laborant nonnulli vt myſticas explicationes comminiſcantur. Sed nimis quàm probabile eſt mea quidem ſententia, iſtius generis ferculum obrepſiſſe in ſupplicationes publicas, errore vulgi magis, quàm certa illa ratione, aut inſtitutione Eccleſiaſtica. Neque enim, ſi tale portentum auctoritate Eccleſiæ introductum foret, ad ſignificandum (vt fabulantur) Dæmonem à Chriſto deuictum, ſublimis & elatus portandus eſſet;

Draco, hianti ore & minaci quaſi victor, aut floribus & ſertis redimitus quaſi ſacra quæpiam & veneranda imago; ſed terræ afflictus ad pedes Crucifixi, ad eum modum quo ſub pedibus calcantis & proterentis Michaelis Archangeli effingi in templis ſolet: vel quo Conſtantinus imaginem ſuam in tabula depictam pro foribus palatij propoſuit, victrici ſigno crucis in vertice capitis prominente, ſub pedibus autem ſtrato Dracone, labari cuſpide transfixo, & fluctibus obruto: qua deſcriptione ſymbolicè adumbrabatur, Draconem antiquum, Idololatriæ principem, ab ipſo Conſtantino virtute crucis proſtratum, confoſſum, & ſubmerſum fuiſſe, iuxta prophetiam Iſaiæ c. 27. *In die illa viſitabit Dominus in gladio ſuo duro, & grandi, & forti, ſuper Leuiathan ſerpentem vectem* (id eſt, in longum protenſum inſtar vectis) *& ſuper Leuiathan ſerpentem tortuoſum: & occidet eum qui in mari eſt*. Ad quam imaginem alluſit Prudentius libro περὶ στεφάνων, Hymno 1. loquens de duobus Draconariis, qui è militibus Gentilium Chriſtiani facti, crucem in exercitu pro Dracone ferebant, his verſibus:

Próque ventoſis Draconum, quos gerebant, pallüs,

Præferunt inſigne lignum, quod Draconem ſubdidit.

Si, inquam, ſublimis ad pompam in ſupplicationibus portandus eſſet Draco, eo habitu ac ſpecie iacens exponendus eſſet, quo à S. Gregorio Nazianzeno deſcribitur in ipſius epitaphio, Orat. 42. *Vbi eſt* (inquit) *mors, ſtimulus tuus? vbi tua, inferne, victoria? Crux te proſtrauit, vitæ auctor tibi necem attulit. Exanimis es, mortuus, immobilis, iners; ſerpentis licèt figuram ſerues, in ſublimi loco quaſi in columna publica, dedecoris & ignominiæ notis inuſtus.* Deinde quid cauſæ eſt, cur Draco iſte in Litania maiore & Rogationibus potiùs quàm aliis proceſſionibus deferatur? nonne æquè in omnibus triumphatur Dæmon à Chriſto crucifixo?

Videtur error iſte natus ex nomine Draconariorum. In militia Romana; ſingulæ legiones ſuam aquilam habuerunt pro ſigno militari; ſingulæ cohortes draconem, ſeu draconis ſpeciem in vexillo expreſſam, iuxta deſcriptionem Ammiani Marcellini lib. 16. & Prudentij in ſupradictis verſibus, quam Græci vocant δρακόντιοι. Vnde, ſicut qui aquilam portabant, Aquiliferi, ſic qui Draconem, *Draconarij* appellati (Græcis δρακοντοφόροι) vt docent Vegetius de re militari lib. 2. c. 7. & 13. & Modeſtus libro

de vocabulis rei militaris. Sed, ſublatis tandem è militia Draconibus, ínque cruces mutatis, manſit appellatio Draconariorum pro quibuſuis ſigniferis; ſicut Draconis nomen plerumque pro alio quouis genere vexilli vſurpatur, vt apud Ionam Aurelianenſem initio libri 2. de cultu imaginum, pro labaro, in his verbis: *Exinde ſignum* (loquitur de Conſtantino) *quod de cœlo ſibi fuerat demonſtratum, in militaria vexilla transformat, ac labarum, quem dicunt Draconem, in ſpeciem Crucis Dominicæ exaptat; & ita armis vexilliſque religionis inſtructus, aduerſum impiorum arma proficiſcitur*: & ſimiliter in his verbis Prudentij è libro 2. contra Symmachum,

——— tecinêre tubæ, prima haſta
Draconis
Præcurrit, quæ Chriſti apicem ſublimior efffert:

quæ Baronius interpretatur de labaro. Vnde in Ordine Romano *Draconarij* dicuntur, qui ſigna portant in proceſſione ante Pontificem. Putarunt igitur, vt coniectamur, qui id ignorarunt, Draconariorum geſtamen in proceſſionibus debere eſſe Draconis imaginem, vt in militia Romana fuit; atque ita, ſapientes in oculis ſuis, eam vexilliferis Eccleſiaſticis portandam impo-

fuerunt. Fauit opinioni eorum forſan Draco ille, qui aquarum vi raptatus in agrum Romanum, vniuerſæ regioni peſtem intulit, cuius causâ S. Gregorius Magnus dicitur Litaniam maiorem inſtituiſſe. Sed à nemine Hiſtoricorum eſt proditum, ſanctiſſimum Pontificem tam populariter & otiosè in negotio religionis egiſſe, vt, in ſumma omnium ordinum conſternatione, tam horrendi prodigij ſimulacrum populi Romani oculis obijceret: neque, ſi id verum foret, poſſet Draconis geſtatio ad Rogationes aliáſve quaſcumque proceſſiones trahi, quarum inſtitutioni & myſterio nullo modo conuenit. Addimus, nullam de hac Draconis deportatione mentionem in antiquis Auctoribus haberi, nullum vſquam eius inſtituendæ aut inſtitutæ monumentum. Rem tamen in medio relinquimus, vt de ea quiſque, provt volet, ſentiat: quandoquidem præclariſsimarum Eccleſiarum vſum, ſi quæ huiuſmodi ferculum inter ſacra gerere ſolent, damnare, noſtri neque conſilij, neque iuris eſt.

Secunda pars proceſsionis Eccleſiaſticæ eſt Chorus ſacerdotalis: cuius ordo eſt, vt ſtatim poſt ſigna & Euangelium incedant pueri ſymphoniaci, & ſubinde inferiores clerici ac miniſtri, poſtremo loco qui ſunt digniores.

digniores. Sed in Eccleſia Andegauenſi hic ordo inuertitur feria quarta Rogationum. Nam, redeunte proceſſione, Dignitates ſeu Perſonæ crucem propiùs ſequuntur, & deinceps antiquiores Canonici ſuccedunt ſuo quiſque loco; in extremo autem agmine honoratiorem locum tenent iuniores, & receptionis ordine poſteriores. Id verò pertinet ad myſterium Aſcenſionis, quæ tunc imminet: vt intelligant qui præſunt & honores gerunt in Eccleſia, ſibi eo magis impoſitam eſſe diſciplinam humilitatis, & crucis ferendæ poſt Chriſtum, quo aliis ſe ſciunt gradu & dignitate anteire: & eos demùm Chriſto propinquiores futuros in cæli aſcenſu, & cœleſtis gloriæ ſortitione, qui ſe magis infra alios voluntaria animi demiſſione abiecerint, iuxta ſententiam Domini Lucæ c. 22. *Qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator.* Eumdem ordinem ſeruauit S. Bernardus in proceſſione Purificationis B. Mariæ, Serm. 2. de eiuſdem Feſto, vbi etiam conſequenter explicat, quare bini in proceſſionibus incedant Eccleſiaſtici. *Ad hæc* (inquit) *futuri ſunt in proceſſione noſtra nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi: & cantabimus in viis Domini, quoniam magna eſt gloria Domini. Meritò ſanè bini & bini procedi-*

mus: ſic enim ad commendationem fraternæ charitatis, & ſocialis vitæ, miſſos à Saluatore Diſcipulos Euangelia ſacra teſtantur. Turbat proceſſionem, ſi quis ſolitarius incedere curat: nec ſibi ſoli nocet, ſed etiam cæteris eſt moleſtus. Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, ſpiritum non habentes, nec ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.

De ordine, deuotione, & modeſtia Cleri in proceſſionibus, ſic ſtatuit Concilium Mediolanenſe primum, c. de proceſſ. & ſupplic. *Omnes ordines grauiter & modeſtè procedant, colloquiiſque excluſis, pſalmis, hymnis, & reliquis ſacris precibus, operam dent. Nemo ordinem in proceſſione deſerat, antequam ad Eccleſiam, vnde profecti ſunt, redierint. Laici à Clericis, feminæ à viris, ſeparatim proſequantur. Videant Epiſcopi, vt in ſupplicationibus & proceſſionibus quibuſcumque, præſertim cum ſanctiſſima Euchariſtia circumfertur, & cum frequentior populus ad Eccleſias, Indulgentiæ, Feſti, ſacræ concionis gratia, vel alia de cauſa conuenire ſolet, ea modeſtia & reuerentia adhibeatur quæ piis & religioſis huiuſmodi actionibus maximè debetur. Ne inter viam inaniter ſpectandi gratia ſubſiſtatur. Ne petulanti facto dictóve cuiquam moleſtia afferatur. Ne, quæ minùs deceant, ſpectacula adhibeantur; néve actiones*

pro foribus ædium, aut in via, repræſententur. Concilium Mediolanenſe ſecundum, decreto 9. *Clericus, cùm in aliquam Eccleſiam, vel ad proceſſiones, vel ad ſtationes obeundas, vel ad funus conuenerit, illud meminerit, ſe eſſe in domo Dei ſancta, quæ domus eſt orationis. Quare nullus cuiuſuis ordinis Clericus, aut Sacerdos, in Eccleſia deambulet; nec in confabulationibus & congreſsibus eo loco indignis verſetur: ſed vnuſquiſque, aut ſolus, aut comitibus ſociiſque aliis adiunctis, religioſas preces Deo in cauſa adhibeat, quamobrem Clerus vniuerſus conuocatus eſt.* Concilium quartum Mediolan. c. de proceſſionibus. *Clerici omnes, ſæculares & regulares, & qui in baſilica Cathedrali Dignitates obtinent, bini ſemper procedant: neque item inter Epiſcopum & eoſdem laicis locus ſit.*

Tertia & extrema pars proceſſionis complectitur laicos, de quibus in hunc modum ſtatuit Concilium Turonenſe vltimum, c. de Chriſti fidelibus laicis. *Certis teſtimoniis cùm didicerimus, pleriſque in parœciis prauam illam inualuiſſe conſuetudinem, vt in litaniis & proceſsionibus, quæ Deo ſupplicandi & preces offerendi gratia ab antiquis patribus inſtitutæ ſunt, miſceantur ludi, ioci, choreæ, comeſſationes, & aliæ ridiculæ actiones, vnde contentiones oriuntur: Eccleſiarum parœcia-*

lium Rectores, quantum poſſumus, in Domino hortamur, ne huiuſmodi, quæ Deum Optimum Maximum ad iram potiùs prouocant, quàm orationes in his proceſsionibus fuſæ ab eo petita impetrent, in ſuis parœciis fieri ſinant: imò magis ſuos parœcianos ab his abſtinere, etiam ſub anathematis pœna, moneant; eoſdem in dictis proceſsionibus, viris à mulieribus ſeparatis, ordinatè, deuotè, & modeſtè procedere, non verò inuicem confabulari, ſed preces ſuas Deo, qua decet humilitate, offerre docentes & commonefacientes. Dignum etiam eſt quod hîc addatur Decretum Concilij Mediolanenſis quarti de officio laicorum, loco citato. *Quod in multis huius prouinciæ locis religioſæ conſuetudinis eſt, retinere, aut, ſicubi non eſt, introducere Epiſcopi ſtudeant: vt omnes, tum mares, tum feminæ, ſacro ſolennitatis ſanctiſsimi Corporis Domini religioſóque die, eam proceſsionis celebritatem, non è feneſtris, neque omnino è ſuperiori loco inſpiciant, ſed eam proſequantur omni piæ religioſæque venerationis ſtudio. Idem præterea curent de aliis publicis proceſsionibus: cùm illas omnes populum ſupplicem proſequendo piè obire inſtitutum ſit.* Sed illud in primis notatu dignum quod eodem loci habetur: *Muſicis cuiuſuis generis inſtrumentis in proceſsionibus ſonari, ne vllo modo permittatur.* Sed hoc da-

tum eſt apud nos ſoli proceſſioni quæ fit in Feſto Corporis Chriſti, vt eorum concentus illi adhibeatur, ad imitationem populi Iſraëlitici Arcam omni genere cantus celebrantis, vt infrà ſuo loco dicetur c. 25. & iam ſuperiori capite è Scriptura recitatum eſt.

Pertinent etiam ad conſeruationem ordinis proceſſionum ſacratum duo capita 31. & 32. Nouellæ Iuſtiniani Imperatoris 123. ſuperiùs citata pro crucibus, & earumdem antiquitate, quæ his verbis concepta ſunt. *Si quis, cùm ſacra miniſteria celebrantur, in ſanctam Eccleſiam ingrediens, Epiſcopo, aut clericis, aut miniſtris aliis Eccleſiæ, iniuriam aliquam inferat: iubemus hunc verbera ſuſtinere, & in exilium mitti. Si verò hæc ſacra miniſteria conturbauerit, aut celebrare prohibuerit, capitaliter puniatur: hoc ipſo & in litaniis, in quibus Epiſcopi aut clerici reperiantur, cuſtodiendo. Et, ſi quidem iniuriam ſolùm fecerit, is verberibus exilióque tradatur. Si verò etiam litaniam concuſſerit, capitale periculum ſuſtinebit: & vindicare iubemus non ſolùm ciuiles, ſed etiam militares Iudices. Omnibus autem laicis interdicimus litanias facere ſine ſanctis Epiſcopis, & qui ſub eis ſunt reuerendiſsimis clericis. Qualis enim eſt litania, in qua Sacerdotes non inueniuntur, & ſolen-*

nes orationes faciunt? Sed & ipſas honorandas cruces (cum quibus & in litaniis ingrediuntur) non alibi niſi in venerabilibus locis reponi: &, ſi quando opus vocauerit ad litanias celebrandas, tunc ſolùm ipſas ſanctas cruces accipere eos qui conſuetè eas portare ſolent, & cum Epiſcopo & clericis litanias celebrare: hoc cuſtodientibus ſanctiſsimis locorum Epiſcopis, aut etiam eorum clericis, & per loca Iudicibus. Si quis autem in hoc capitulo præſentis noſtræ legis virtutem aut tranſcenderit, aut non vindicauerit, prædictas pœnas patietur, Monaſteriorum & reuerendiſsimorum Monachorum diſpoſitione. Quod Iuſtinianus in hac Nouella ſtatuit de iis qui cruces portare debent, idem, ſed explicatiùs, ſancit Concilium Mediolanenſe primum loco antè citato; *Cruces clerici ferant, talari veſte & ſuperpelliceo induti: iique eiuſmodi ſint, vt eas aptè & decorè ferre poſsint.* Et ſimiliter Concilium Mediolan. quartum dicto c. *Sacrarum imaginum inſignia, vexillá ve cleri, ne laicus homo in proceſsione præferat, vbi clericus quiſquam eſt, qui hoc munus præſtare poſsit.*

De præparatione ad Proceſsionem.

CAPVT IV.

ANte orationem præpara animam tuam *(ait Sapiens Eccleſiaſtici 18.)* & *noli eſſe quaſi homo qui tentat Deum.* Non ſunt temerè & incogitanter ineundæ ſupplicationes publicæ, ſed cum debita animi præparatione. Qui enim ad orandum accedit imparatus, non poteſt non diſtrahi in varias cogitationes: quibus quàm longè mens à Deo abducitur, tam longè à propoſito orationis fine & fructu aberrat. Qua in re & temeritas eſt, & irreuerentia, & plerumque etiam iniuſtitia.

Temeritatis enim eſt, arduum & magni momenti opus tentare, non inſtructum iis ſubſidiis & adiumentis, ſine quibus neque illud perficere poteſt, neque fructum vllum cœpti laboris percipere. Atque id propriè eſt tentare Deum, vt loquitur Sapiens. Nam Deum orare, non adhibendo eas conditiones quæ neceſſariæ ſunt ad obtinendum id quod petitur, perinde eſt atque ex-

periri velle, vtrùm Deus malè petentibus gratiam faciat, & ſua beneficia largiatur. Itaque videtur, quiſquis ita agit, non orare vt impetret (qui eſt finis legitimus orationis) ſed laborare vt periculum faciat benignitatis ſeu voluntatis Dei indebito modo, quippe quem ſciat non promiſiſſe ſe exauditurum niſi benè diſpoſitos: quod faciendo magis prouocat iram Dei, quàm miſericordiam aut beneficentiam. Duo autem ſunt neceſſaria ad orationem; ex parte Dei auxilium gratiæ; ex parte hominis conueniens mentis applicatio, & conatus ad debitè & vtiliter orandum. Quî autem fieri poteſt, vt debitè & conuenienter oret, qui ne cogitat quidem quid agat, neque enititur ad id opus quidquam afferre quod iuuet ad orandum? Dei autem gratiam, & benignum concurſum Spiritus ſancti ad fundendam orationem, quomodo poteſt impetrare, qui ne petit quidem; neque, ſi petat, eum reuerentia aut recta vlla animi diſpoſitione petit? Grauiter & appoſitè ad hanc rem Auctor Operis imperfecti in Matthæum, Homilia 14. *Et homo Deum neceſſarium habet, & Deus hominem, ad iuſtitiam faciendam. Nam, ſicut homo non poteſt facere bonum, niſi habuerit adiutorium Dei; ſic nec Deus bonum operatur in homine, niſi*

homo voluerit. Sicut nec terra ſine ſemine, nec ſemen ſine terra fructificat: ſic nec homo ſine Deo, nec Deus ſine homine, iuſtitiam operatur in homine. Semina fructus ex oratione colligendi ſunt, ſanctæ cogitationes, pij affectus, ſeria humilitas & abiectio ſui, attentio mentis, deuotio erga Deum, interna animi reuerentia: quæ neque naſci prorſus in homine, neque progerminare, aut adoleſcere in frugem poſſunt, niſi ea Deus infuderit, & aſſiduis incrementis aluerit, ac feruore charitatis animauerit. Ergo affectata videtur euagatio mentis & indeuotio in eo, qui negligit ſe initio præmunire mediis neceſſariis ad eam euitandam.

Eſt quoque reus ſummæ irreuerentiæ apud Deum, qui ſine præparatione orat. Cùm enim oratio ſit actus latriæ & ſupremi cultus Deo debiti, ſummam requirit in orante reuerentiam maieſtatis diuinæ, quam adorat. Quomodo autem poteſt quis reuereri eum, quem neque præſentem ſibi cogitat, neque eius poteſtatem aut gloriam attendit, neque circumſpicit quantùm tremere in conſpectu eius, quantùm eum venerari debeat? Contemnit igitur Deum, & parui æſtimare ſe oſtendit, qui ad eius colloquium accedit imparato animo, & in nullam ſpeciem reuerentiæ aut honoris

compoſito: qui præſtantiſſimum Dei opus, perinde atque profanum quodpiam negotium, tractat, & in conſpectu ſummi Regis verſatur ſine vllo pudore aut decentia, haud ſecus ac ſi cum vilisſimo homuncione congrederetur.

Accedit ad hæc genus quoddam iniuſtitiæ erga proximum. Nam, cùm Sacerdotes ſint publici Eccleſiæ ac Religionis miniſtri, *pro hominibus conſtituti in iis quæ ſunt ad Deum, vt offerant dona & ſacrificia pro peccatis*, vt loquitur Paulus Hebr.c. 5. ij non mediocre damnum afferunt populo Chriſtiano, cùm publicas orationes pro neceſsitatibus eius tam negligenter & indeuotè peragunt, vt prodeſſe ei, provt debent, non poſsint. Hinc enim ſæpe fit, vt in publicis calamitatibus, quantumuis clamemus ad Deum, experiamur id quod minatus eſt Deuteron. 28. *Cælum quod ſupra nos eſt æneum, & terram quam calcamus ferream;* quia Sacerdotum oratio coram eo eſt abominabilis. Iniuriam etiam faciunt ipſi Eccleſiæ, cuius nomine orant, legationem eius mala fide apud Deum obeuntes, & eiuſdem poſtulata ſua præuaricatione corrumpentes: quaſi iis propoſitum eſſet, cauſam ſupplicantis populi malè orando façere deteriorem.

His adiungimus circumſtantiam ſcandali, quæ ſpeciale peccatum facit. Qui enim non collecto & attento animo ad orandum prouolat, quemadmodum interna cogitatione vagus eſt, incompoſitus, & Dei minimè reuerens; ita externo habitu corporis neceſſe eſt, vt animi inſtabilitatem & euagationem, indeuotionem & irreuerentiam prodat. Hinc oculi aſſiduè diſcurrentes, & ad obuia quæque proſilientes; caput ad omnem motum verſatile, & in omnem partem circumagitatum: hinc petulantia, hinc riſus, & intermiſti ſæpe ioci atque dicteria, hinc confabulationes; hinc ex incogitantia præpoſtera ſuffragiorum vſurpatio, & rerum agendarum confuſio; hinc cantus inconditi, hinc precandi intempeſtiua interruptio, hinc crebra ex ordine digreſſio; hinc denique genus omne immodeſtiæ & irreuerentiæ; quæ quantum ſcandali & offenſionis afferat laicis, quantùmque eorum pietatem conturbet, dici non poteſt. Intelligant igitur qui legatione funguntur apud Deum pro populo Chriſtiano, ita ſe comparare ad publicas ſupplicationes debere, vt, quantùm in ipſis eſt, ſicut oportet, orent, id eſt, attentè, reuerenter, & fructuosè.

Incumbit autem iis hac in re præparatio duplex: altera interna, externa altera. Et

prior quidem, ſuppoſita puritate conſcientiæ, in eo verſatur, vt primùm ſe in conſpectu Dei ſiſtant, & cogitent quanti res momenti ſit cum Deo publicè agere, vniuerſi populi vota & preces in ſe recipere, ac pro eo mediatores indulgentiæ & pacis interuenire: tum humiliantes ſe coram Deo, ei omnem futuram orationem offerant, ſtatuentes animo attentionem & reuerentiam vſque ad finem, quantùm in ſe erit, ſeruare, & abdicantes à ſe omnem ſuperuenturam diſtractionem: denique, erigendo cor ad Deum, ex intimo affectu eum precentur, vt gratiam ad rectè orandum concedat, preces ſuggerat quas ipſe exaudire propitius dignetur, & omnem Cleri ac populi progreſſum ad ſuam gloriam dirigat. Iuuabit etiam, ad excitandum in ſe pium affectum rectè & efficaciter orandi, afflictionem, neceſſitatem, & deſiderium populi attenta mente conſiderare, & eniti ea in ſe, tanquam propria & vrgentia, perſentiſcere. Poſterior præparatio id exigit, vt corpus in omnem modum decentiæ, modeſtiæ, ac reuerentiæ, ſtudiosè componant; quatenus eam conſtitutionem honeſtatis toto proceſſionis curſu teneant, ad circumſtantis populi ædificationem: tum proſpiciant diligenter, vt omnia ad eam actionem neceſ-

ſaria parata habeant; Reſponſoria, Antiphonas, & alia canenda præuideant, déque eorum ordine inter ſe conſentiant: *Cùm ad proceſsionem Clerus vocatur* (ait Concilium Mediolanenſe quartum) *quid pſallendum, quid canendúmve ei ſit, vt opportunum erit, ſignificetur.*

Habet Eccleſia ad eumdem vſum præparationis, tum aſperſionem aquæ benedictæ, qua luſtratur populus, ne ad proceſſionem ſacram illotis animis accedat, cum adiunctis propriis Antiphonis & Orationibus; tum etiam, diebus quibus non fit aſperſio, alias Antiphonas & Orationes in eamdem rem: è quibus ratio Antiphonæ, *Aſperges me*, explicata habetur inferius c. 12. & Antiphonæ, *Vidi aquam*, c. 15. quæ duæ è Scriptura deſumptæ ſunt.

Quod verò ſpectat ad Antiphonam, *Sanctus Deus*, eam initium habuiſſe ex miraculo, & cœlitus demiſſam fuiſſe imperante Theodoſio iuniore, narrant, Felix Papa tertius Epiſtola 3. Quintianus in duodecim Anathematiſmis ad Petrum Cnapheum, qui habentur tomo 2. Concil. poſt Concilium Romanum ſub eodem Felice, Acacius Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, & Aſclepiades Epiſcopus Trallenſis, in ſuis Epiſtolis quæ referuntur poſt

Concilium Conſtantinopolitanum habitum ſub eodem Felice, Paulus Diaconus Miſcellæ hiſtoriæ lib. 14. Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 14. c. 46. & Sigebertus in Chronico, anno 444. Cùm enim terra motibus horrendis aſſiduè per ſex menſes quaſſaretur, Conſtantinopoli tantus ex eo terror omnem ciuitatem inuaſit, muris & ædificiis paſſim corruentibus, vt, relicta vrbe, ciues cum ipſo Imperatore Theodoſio, Pulcheria Auguſta, & Proclo Patriarcha, in agrum ſuburbanum, cui Campo nomen eſt, ſecederent, ibíque rei euentum expectantes conſiderent; donec quodam die terra inſolito tremore agitata vſque adeo fluctuare viſa eſt, vt à fundamentis conuelli & collabaſcere crederetur. Tum verò ad Deum conuerſi, dum omni genere litaniarum & ſupplicationum eius miſericordiam exorare contendunt, circa horam tertiam, inſpectantibus omnibus, puer è media turba repentè in ſublimem cœli regionem abripitur. Ad cuius rei conſpectum vniuerſa plebe miſerabili eiulatu in cœlum clamante, *Kyrie eleiſon*; poſt horam idem puer, eadem via qua aſcenderat, è ſublimi delabitur; ſtanſque per tres horas ſecus pedes Patriarchæ, nuntiat, ſe in cœlo chorum Angelorum audiuiſſe hoc carmen iubila-

tionis in Dei laudem concinentium, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis;* iuſſúmque diuina quadam voce ipſi Epiſcopo & populo edicere, vt litanias ad eumdem modum canendo celebrarent. Quod cùm iubente Proclo illicò factum eſſet, eodem momento & puer animam reddidit, & terræ motus conquieuit. Inde loco nomen apud poſteros manſit, ὕψωμα θεῖον, *Exaltatio diuina.* Addit Nicephorus, Theodoſium, tanto miraculo perculſum, Conſtitutione imperiali mox decreuiſſe, vt diuinus iſte Hymnus per vniuerſum orbem deinceps caneretur; & ex eo tempore Eccleſiam eum acceptum, non quolibet tantùm die vſurpâſſe, ſed etiam cuiuſlibet carminis & laudis initio ante omnia pleno ore præmiſiſſe. Quare non eſt mirum, Eccleſiam Andegauenſem eum ſolenni more in Feſtis præmittere proceſſioni matutinæ, quaſi precationem præparatoriam. Celebris eſt idem Hymnus apud Græcos in Liturgiis, & ibi appellatur *Cherubicus,* & ſimiliter ab Acacio epiſtola citata, aliàs ἐπινίκιος, quaſi *triumphalis*, vulgò *Triſagium*, id eſt, *ter-ſanctus Hymnus.* Quod nomen primùm tributum eſt Hymno illi Angelico, quem duo Seraphim Iſaiæ 6. clamabant in conſpectu Dei alter ad alte-

rum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum, plena eſt omnis terra gloria eius*: de quo dicit Concilium Vaſenſe c.4. *Tam dulcis & deſiderabilis vox, etiamſi die noctuque poſsit dici, faſtidium non poterit generare.* Inter vtrumque tamen Hymnum diſcrimen quoddam ponit Felix Papa in Epiſtola citata: *Ab Angelis* (inquit) *nobis laus iſta profluxit, qui ante crucem dicebant, Sanctus, Sanctus, Sanctus; poſt crucem verò cum laude clamabant, Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis.* Quàm citò autem is ab Eccleſia probatus & receptus fuerit, ex Concilio Chalcedonenſi diſcitur, in cuius Actione prima ſub finem inter publicas Patrum acclamationes hæc potiſſimùm celebrata fuit, *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miſerere nobis.* Cuius tertio membro, *Sanctus immortalis*, cùm Petrus Cnapheus ſeu Fullo, Antiochiæ Epiſcopus, temerè addidiſſet, *Qui crucifixus es pro nobis*, totam Trinitatem in cruce paſſam eſſe inſinuans, & quaternitatem pro Trinitate introducens, hæreſis in Concilio Conſtantinopolitano, & duobus Romanis habitis ſub Felice tertio, damnatus eſt. Idem Hymnus vſurpatur ab Eccleſia in die ſancto Paraſceues, & canitur alternis verſibus Græcè & Latinè, quæ duplex

plex lingua, eſt Eccleſiæ congregatæ ex gentibus, Orientalis & Occidentalis; excluſa Hebraica, quæ Iudæorum eſt, quia illi in infidelitate obdurati Chriſtum Dei filium nolunt agnoſcere: & prior canit Eccleſia Græca, ἅγιος, et. c. quia prior ad fidem vocata eſt. Canitur autem dictus Hymnus eo die, tum ad tollendum ſcandalum crucis, profitendo Chriſtum crucifixum, in humanitate *Deum*, in calumniis accuſantium impiorum *Sanctum*, in paſſione & cruciatibus *fortem*, in morte *immortalem*, æquè ac Patrem & Spiritum ſanctum: tum etiam ad obtinendam efficaciùs miſericordiam Dei per merita Crucifixi, in prece ſubnexa, *Miſerere nobis*; quia is Hymnus ſingularem quamdam vim ad id habere creditur ex diuina inſtitutione, vt apparet exemplo terræmotus Conſtantinopolitani. Reliquæ Antiphonæ præparatoriæ ſumptæ ſunt de Scriptura.

Quod attinet ad populi præparationem, qui proceſſionum religione primùm delectatur, libentérque ad eas conuenire ſolet; paſtorum curæ erit, Dominica præcedente, dum eas denuntiabunt, parochianos ſuos de earumdem inſtitutione & cauſa, myſterio, ſignificatione, & fine, edocere; hortaríque ad eas piè & religioſè, vt decet,

obeundas; &, ſi qui abuſus in eas praua conſuetudine aut fecùs irrepſerint, de iis tollendis præmonere.

Atque hæc quidem de proceſſionibus in genere ſumptis dicta ſint. Sequitur vt de ſingulis in ſpecie diſſeramus.

De Proceſsione ad Altare, quæ fit in Miſſa ſolenni.

CAPVT V.

INter proceſſiones legitimas ſeu ordinarias primo loco ponimus duas illas quæ fiunt in Miſſa ſolenni, quia in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis eæ quotidianæ ſunt: quanquam non pari ſolennitate celebrantur in ferialibus & profeſtis diebus, atque in Feſtis maioribus.

Prior eſt, qua Epiſcopus ſeu Sacerdos è Secretario prodiens vadit ad Altare, in quo publicè celebraturus eſt: quod fit ſolenni pompa, & inſtructo ordine procedentium cum eo miniſtrorum. Et huiuſmodi proceſſio, quia terminatur ad ingreſſum Altaris, *Introitus* dicitur: vnde Antiphona, quæ introeunte Sacerdote canitur, *Introitus* quoque nominatur, in Ordine Miſſæ Ambro-

ſianæ, *Ingreſſa*; ſicut apud Græcos εἰσοδικὸν appellatur, id quod canitur ad introitum Sacerdotis in Sacrarium, quem illi vocant εἴσοδον.

Eius proceſſionis ordo hic eſt. Præcedit Thuriferarius; ſequuntur duo Acolythi cum candelabris & cereis accenſis; tum Capellanus crucem ferens; poſt eum Subdiaconus cum codice Euangelij, cui ſuccedit Diaconus; ac poſtremo loco Celebrans. In Eccleſia Andegauenſi, ſi ſolennitas fuerit, poſt crucem incedunt duo Subdiaconi, & his proximi duo Diaconi minores: deinde Subdiaconus maior librum Euangelij gerens, ac poſt eum maior Diaconus, vterque ex ordine Canonicorum. Si autem Epiſcopus celebret ſolenniter, ex præſcripto Ordinarij ſeu Cæremonialis, debent præcedere ſeptem Acolythi cum ſeptem cereis ardentibus, ſeptem Subdiaconi, totidémque Diaconi (qui ritus ſumptus eſt ex Ordine Romano, & refertur ab Honorio in Gemma animæ, lib. I. cap. 4.) & proximè ante Epiſcopum duo Archidiaconi, alter pro maiore Subdiacono gerens librum Euangeliorum, alter pro Diacono maiore. Tum demùm, præeunte baculo paſtorali, procedit Epiſcopus in Pontificalibus: cuius latus tegunt duo Aſſiſtentes, à dextra Canoni-

cus, à ſiniſtra Pœnitentiarius, cui ex officio incumbit mitram capiti imponere, & de capite tollere. Et hæc proceſſio eſt, quæ ab Ordine Romano appellatur *Plenaria.* In die ſancto Paraſceues, ad hanc proceſsionem non portantur cerei, neque incenſum, ante Euangelium, vt notatur in Ordine Romano, propter diei mœſtitiam, & luctum occiſi Chriſti; in cuius morte viſa eſt lux veritatis extincta, & odor diuinus doctrinæ eius diſsipatus.

In Eccleſia Turonenſi (quæ, iuxta Canonem Toletanum, toti Prouinciæ, *& Sacerdotalis dignitatis mater, & Eccleſiaſticæ rationis magiſtra eſt*) magno ſplendore & apparatu procedit hæc pompa. Agmen ducit Theſaurarius, longo interuallo præcedens, & cereum accenſum candelabro argenteo præferens, aſſectante apparitore, qui turbam ſubmoueat. Sequuntur, ordine ſingulatim incedentes, ſed longo ab inuicem ſpatio diſiuncti, ſeptem pueri ſymphoniaci, albis & tunicis veſtiti, cum ſingulis candelabris & cereis ardentibus: his ſuccedunt ſex Subdiaconi, tunicis quoque & cætero ſui Ordinis cultu inſignes; quorum vnus crucem ſublimem effert, tres deinde Sanctorum Reliquias, duo reliqui libros argenteos inauratos Epiſtolarum & Euangelio-

rum Miſſalium geſtant: tum Diaconus & Subdiaconus maiores, ad præcipuum Altaris miniſterium accincti: poſt hos qui crucem Archiepiſcopalem, & paſtoralem baculum præferunt. Extremo loco progreditur Archiepiſcopus, Pontificali ornatu conſpicuus, cum duobus Aſsiſtentibus Canonicis, & totidem Clericis ſeu Capellanis pluuiale Pontificium ab vtraque parte ſubleuantibus. Hoc ordine procedunt à Secretario in nauim Eccleſiæ ſecundum dextrum Chori latus, atque inde per medium Chorum ad Altare; exceptis duntaxat pueris ceroferariis, qui cùm ad ſummum Chorum venerint, ibi ad lineam directi conſiſtunt, quatuor à dextra, tres à ſiniſtra parte; &, præteruecto Pontifice, omnes candelabra ſua ordinatim diſpoſita in ſolo ante aquilam pulpiti collocant: atque inde ſecedentes, duo ad Altare pergunt, reliqui ſcholæ cantorum ſe adiungunt. Atque hunc procedendi ritum antonomaſticè *Ordinem* vocant.

Progreſſus Pontificis ſeu Sacerdotis è Secretario cum apparatu deſcripto, ſignificat exitum filij Dei à Patre, & aduentum in mundum, tanquam ſponſi procedentis de thalamo ſuo. Ita explicant, Innocentius tertius lib. 2. de officio Miſſæ c. 2. Amalarius

lib.2.c.1. Rupertus lib.1. c.28. Honorius in Gemma animæ, lib.1. c.84. Durandus Rational.lib.4. c.6. & inter Græcos S. Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum, & Maximus Monachus lib.de Eccleſiaſtica myſtagogia, c.25.

Thuriferarius & cæteri miniſtri, qui antecedunt tunicis & ſplendidioribus veſtibus ornati, ſignificant comitatum Angelorum aſsiſtentium ac miniſtrantium filio Dei, & eum vt Saluatorem mundi in ipſa Incarnatione adorantium, iuxta teſtimonium S. Pauli Hebr. c.1. *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit; Et adorent eum omnes Angeli Dei*: quæ verba hac in re vſurpat S. Germanus Conſtantinopolitanus loco citato: & Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo, c. de Myſtagogia, ita ſcribit. *Hierarcha igitur ſacra facturus, de throno, in quo aliis circumſtantibus ſedet, deſcendens, Dei Verbi ad nos condeſcenſionem figurat. Indutus autem ſacram ſtolam, ſacratiſsimam eius Incarnationem; & ad portas etiam templi vſque gradiens, eiuſdem in terras aduentum præſentiamque, & quomodo vſque ad mortem & Inferos ſe demiſerit, animi oculis ingerit. Hoc enim ſibi vult, quòd occaſum verſus, & ad portas vſque deorſum procedit. Extra ſacrarium porrò diuinas*

Digitized by Google

preces ineunti Diaconi aſsiſtunt, qui non modò Apoſtolorum, verum-etiam Angelorum, quos Chriſtus in myſteriis ſuis miniſtros habuit, locum tenent. Vnde in Liturgia S. Iacobi in Hymno Cherubico canitur: *Rex regnantium, & Dominus dominantium, Chriſtus Deus noſter progreditur vt immoletur, ac detur in cibum fidelibus: ipſum autem antecedunt Angelorum chori, cum omni imperio & potentia: Cherubim multorum oculorum, ac Seraphim ſex alarum, facieſque velantia, & cum clamore canentia hymnum, Alleluia, alleluia, alleluia.*

Thuris ſuffitus ſignificat bonum odorem doctrinæ quam attulit Chriſtus in mundum, cuius ſuauitate & fragrantia perfuſæ & illectæ gentes in eum crediderunt. Quo de ritu thurificandi ita S. Thomas 3. p. q. 83. art. 5. *Secundò pertinet ad repræſentandum effectum gratiæ, qua, ſicut bono odore, Chriſtus plenus fuit (ſecundum illud Geneſ. 27. Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni) & à Chriſto deriuatur ad fideles officio miniſtrorum, ſecundum illud 2. Corinth. 2. Odorem notitiæ ſpargit per nos in omni loco. Et ideo thurificato Altari, per quod Chriſtus deſignatur, thurificantur omnes per ordinem.* Sic Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo: *Per ſuffitionem ab Altari inchoatam*

(intelligitur) *communicans ſeſe & fragrans Spiritus gratia.* Quare, vt in incenſationibus Eccleſiaſticis conuenienter exprimatur hoc myſterium plenitudinis gratiæ Chriſti, & fragrantiæ ac ſanctitatis eius effuſio in vniuerſum mundum, non parcè, ſed copioſè infundendum eſt thus in thuribulum, vt vniuerſa Eccleſia ſuauitate odoris eius repleatur.

Doctrinæ Chriſti aduenientis ſymbolum præfert liber Euangelij qui ſubſequitur. *Poſt thuribula* (inquit Ordo Romanus) *portatur Euangelium propiùs Epiſcopo. Eadem autem proceſſio fit ab Auſtro in Septentrionem.* Pleniùs Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de celebratione Miſſæ: *Præcedentibus ad Altare miniſtris, in medio eorum propter debitum honorem Euangelium Chriſti defertur, tanquam perſona præpotentis, præcedentibus ac ſequentibus miniſtris conſtipata, cùm procedit in publicum. Cerei quoque Euangelium præcedentes demonſtrant, gratia Euangelij mundum, qui erat in tenebris peccatorum, illuminatum. Quòd autem eadem proceſsio Euangelij ab Auſtrali parte fit in plagam Septentrionalem, declarat, Dominum Ieſum Chriſtum, qui Verbum ſalutis mundo intulit, à parte Meridionali ortum eſſe: nam Ieruſalem, in qua Dominus Ieſus Chriſtus primò Verbum*

Digitized by Google

ſalutis annuntiauit, in Meridie habet Bethleem, à quo loco ipſe Saluator venit, ſicut ſcriptum eſt, Deus ab Auſtro veniet, Habacuc, c. 3. Quod ante Alcuinum obſeruauerat S. Cyrillus Ieroſolymitanus, in Oratione de occurſu Domini: *Ab Auſtro*, inquit, *Ieroſolymæ ex Bethleem nunc in Sionem ingreſſus eſt.* Et iuxta hanc obſeruationem, Sacriſtiæ maiorum Eccleſiarum collocari ſolent ad partem Auſtralem. Vnde colligitur, etiam ad debitum ſolennis ſacrificij ritum pertinere, vt Eccleſiæ Chriſtianæ orientem ſolem ſpectent.

Crux prælata, myſterium paſſionis denotat, quam habuit Chriſtus ante oculos à natiuitate ſua, ad cuius ſacrificium incruento modo celebrandum hîc progreditur. Qua de cauſa apud Græcos Epiſcopus ad celebrandum venit indutus Phelonio crucibus paſſim intexto, quod ideo πολυςαύρελον, id eſt, *Multicrucium*, dicitur: *quoniam* (inquit Simeon Theſſalonicenſis libro citato) *paſſionis Domini ſignum eſt, quo docet Epiſcopus ſe illum imitari, qui per paßionem & crucem veram iuſtitiam conſummauit, & libertatem nobis, tyrannico iugo depulſo, recuperauit: hinc & cùm induit illud Sacerdos, dicit, Sacerdotes tui Domine induantur iuſtitiam, & ſancti tui exultent: re vera enim iuſtitia per crucem no-*

bis exultationem peperit. Et huc ſpectat, quòd in Eccleſia Romana Sacerdos celebraturus Miſſam, priuſquam induat amictum, oſculatur crucem eius medio intextam: vt intelligat, ſe cum crucis amore & veneratione ad myſterium crucis & paſſionis Chriſti peragendum accedere debere. Ob eamdem cauſam etiam iubet Miſſale, crucem eminentem in medio Altari conſtitui, quam ſemper ob oculos habeat Sacerdos celebrans.

Flammantes cerei, lumen reuelationis fidei & doctrinæ Euangelicæ ſignificant, de qua Iſaias c. 60. *Surge, illuminare Ieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: & ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in ſplendore ortus tui.*

Numerus ſeptenarius cereorum lucentium reſpicit ad caput 1. Apocalypſis, vbi Ioannes vidit ſeptem candelabra aurea, & in medio candelabrorum ſimilem filio hominis, veſtitum podêre, ideſt, veſte Pontificali, quaſi accinctum ad ſacrificandum: *Vt* (inquit Innocentius tertius lib. 2. de Officio Miſſæ c. 5.) *ille per hoc aduenisse monſtretur, ſuper quem requieſcit ſpiritus gratiæ ſeptiformis, ſecundum vaticinium Iſaiæ Prophetæ,* c. 11.

Quòd verò in Eccleſia Turonenſi The-

ſaurarius cum prælucente cereo Archiepiſcopi proceſſionem antecedit, id ex Græcæ Eccleſiæ imitatione tractum videri poteſt; in qua quatuor Patriarchis, Conſtantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Ieroſolymitano, id iuris præ aliis Prælatis fuit, vt, quocumque procederent, Lampadarius iis anteiret facem ardentem præferens, aurea corona in medio præcinctam, in ſignificationem Dominici præcepti Matth. 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Præter eos, id ex priuilegio datum eſt ſolis Archiepiſcopis Bulgariæ & Cypri, & paucis quibuſdam Metropolitanis, qui erant αὐτοκέφαλοι, id eſt, ſuo iure viuebant, Superiorem non agnoſcentes; vt legitur apud Theodorum Balſamonem, in Melete prima, quæ eſt de priuilegiis Patriarcharum, initio libri ſeptimi Iuris Græco-Romani. Potuit igitur & hoc olim ſpeciali priuilegio conceſſum eſſe Archiepiſcopo Turonenſi in proceſſionibus Pontificalibus, vt illic in iis quas Balſamon ἀρχιερατικὰς προόδους vocat: niſi fortè viſum eſt priſcis Inſtitutoribus æquum eſſe, vt, ad quem pertineret cuſtodia totius theſauri Eccleſiaſtici & luminarium (vt habetur c. vnico de officio Sacriſtæ) is dux lumi-

num eſſet in ſolemnioribus feſtiuitatibus.

Ingreſſus ad Altare, ſignificat acceſſum Chriſti vt ſummi Pontificis ad aram crucis, in qua ſe victimam pro ſalute mundi offerens, virtute meritorum ſuorum ingreſſus eſt in ſanctuarium cæli, vt ſedeat ad dexteram Patris, & ibi appareat vultui Dei pro nobis, *Sacerdos factus in æternum*, iuxta illud Pauli c. 9. eiuſdem Epiſtolæ: *Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta.*

Subdiaconus qui præcedit (inquit Innocentius tertius lib. 2. de officio Miſſæ c.1.) *Ioannem Baptiſtam ſignificat, qui præceſsit in ſpiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam. Hic ante Pontificem portat codicem Euangelij: quia Ioannes ante Chriſtum prædicationem Euangelicam inchoauit; Pœnitentiam, inquit, agite, appropinquabit enim regnum cœlorum.* Cùm ad altare ventum fuerit, *interea dum confeſsio fit* (inquit Durandus lib.4. Rational.c.6.) *Subdiaconus tenet librum Euangeliorum clauſum ante faciem eius* (Pontificis ſeu Sacerdotis celebrantis) *à parte ſiniſtra.* Fieret enim irreuerentia ſanctiſſimo Sacramento, ſi (quod in quibuſdam locis fieri ſolet) idem Subdiaconus ſtaret aduerſus Sacerdoti, obuertens dorſum Al-

tari, in quò illud quieſcit. Neque verò etiam æquum eſt, Chriſto iam ingreſſo Sancta ſanctorum virtute proprij ſanguinis, & eius morte dirupto velo quod ea operiebat, eorum conſpectum illi adimi interiectu legis veteris, quæ anteceſsit quidem, ſed iam reiecta eſt ad ſiniſtram, vt videri quidem poſſit tanquam figura prænuntia Euangelicæ veritatis, ſed non pro obiecto haberi: Subdiaconus enim hoc loco in perſona Ioannis Baptiſtæ legem veterem ſignificat, vt rectè Durandus loco citato. *Deinde* (inquit) *ſequitur vnus Subdiaconus, codicem Euangelij baiulans, qui ſignificat legem: qui ideo Pontificem præcedit, quia lex, continens in ſe paſſionis Euangelicæ ſacramentum, præceſſit Chriſti aduentum: & portat illum clauſum, ad notandum quòd illud fuit in lege obſcurum priùſquàm Agnus ſeptimi libri ſigilla aperiret.* Quod quidem conſentaneum eſt doctrinæ S. Auguſtini, libro de catechizandis rudibus, c. 4. *In veteri Teſtamento eſt occultatio noui; & in nouo Teſtamento eſt manifeſtatio veteris.* Neque verò etiam illud fidei myſteriis ſatis conſentaneum eſſet, vt, cùm Chriſtus ſummus Pontifex, qui ſolus eſt Mediator inter Deum & homines, venerit in Sanctuarium, vbi Deus cum gloria habitat, obtueri cogeretur aliquem intermedium

inter ſe & Deum, quem propitiauit ſanguine ſuo; quaſi aliquis eſſet alius Mediator Mediatoris.

Liber Euangelij clauſus, qui aperitur à Subdiacono in conſpectu Epiſcopi ſeu Sacerdotis, vt eum oſculetur, ſignificat id quod habetur Apocalypſis cap. 5. ſolum Agnum inuentum fuiſſe dignum qui aperiret librum arcanorum prædeſtinationis æternæ, & ſolueret ſignacula eius, quia occiſus eſt, & redemit nos in ſanguine ſuo. Vbi rectè animaduertit Innocentius tertius loco citato, melius fore, ad perfectam huius myſterij repræſentationem, ſi Epiſcopus ipſe, ſeu Sacerdos celebrans, aperiret propria manu librum Euangelij: quia in Apocalypſi dicitur, *Nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque ſubtus terram, aperire librum, neque reſpicere illum.* Vnde Durandus lib. 4. Rationalis, c. 6. ſcribit: *Epiſcopus, vel Sacerdos, ad Altare perueniens, mitram deponit, confeſsionem facit, codicem aperit, & deoſculatur apertum:* quod idem repetit inferiùs eodem capite, & c. 9. eiuſdem libri. In Ordine Romano ita ſcribitur: *Dehinc, innuente Epiſcopo, cantetur Introitus: & Pontifex à cuſtode Eccleſiæ, qui alba indutus eſſe debet, incenſum accipiens, ponat in thuribulum, & Archiſubdiacono apportante Euangelium*

complicatum oſculetur: quo tamen à pleriſque reuoluto, illud Euangelium, quod illo die legendum eſt, oſculatur. In Eccleſia Rhemenſi, Subdiaconus Euangelium porrigens Sacerdoti oſculandum in ingreſſu Altaris, dicit; *Hæc eſt lex ſancta, pater*: Sacerdos autem reſpondet; *Credo, & confiteor.*

Oſculum eidem libro impreſſum à Celebrante, indicat Chriſtum annuntiâſſe mundo legem gratiæ & pacis, iuxta illud Pſal. 71. *Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis;* & in eiuſdem rei ſymbolum ſtatim idem Sacerdos oſculatur Altare, vice Chriſti implentis illud Cantic. 1. *Oſculetur me oſculo oris ſui,* & hoc ſigno fœdus perpetui amoris cum Eccleſia in ſanguine ſuo ferientis, *vt habeat ſibi glorioſam ſponſam, non habentem rugam aut maculam*, Epheſ. 5. Quo de ritu Stephanus Eduenſis libro de Sacramento Altaris, c.12. *Oſculatur Euangelium & Altare, ſignificans illum qui oſculo ſuæ Incarnationis fecit vtraque vnum, conuerſione Iudæorum & gentium.* Hac de cauſa in Liturgia S. Iacobi, Sacerdos ingreſſus ad Altare, ante omnia dicit, *Pax omnibus:* & ex vſu S. Romanæ Eccleſiæ, quando Epiſcopus ſolenniter celebrat, in prima ſalutatione ad populum dicit, *Pax vobis*, non, *Dominus vobiſcum.*

Antiphona verò, quæ in Choro canitur ad Introitum, repræſentat voces & deſideria Patriarcharum, Prophetarum, & aliorum Sanctorum, qui ab initio mundi votis expectauerunt, geſtis præfigurauerunt, dictiſque aut ſcriptis prophetauerunt aduentum Chriſti, vt interpretantur Rupertus, lib.1. de diuin. offic. c.28. Honorius in Gemma, lib.1. c.6. & Innocentius tertius lib. 2. de officio Miſſæ c. 14. Et ideo omnes propemodum eiuſmodi Antiphonæ ſumuntur ex Pſalmis propheticis Dauidis, qui olim toti canebantur in exordio Miſſæ antiphonatim, id eſt, alternis choris, ex conſtitutione Cæleſtini Papæ 1. vt eſt apud Damaſum in Pontificali in eius vita, & Sigebertum in Chronico anno 426. vnde in Antiphonario S. Gregorij, in Ordine Romano, & apud alios priſcos Auctores, Introitus perpetuò vocatur *Antiphona*. Apparet verò ex eodem Ordine Romano, etiam antiquitùs id obſeruari ſolitum, vt Præcentor non priùs intonaret Verſum, *Gloria Patri*, ad Introitum, quàm Pontifex nutu id ei ſignificâſſet: quod pertinet ad reuerentiam myſterij ſanctiſsimæ Trinitatis, cuius profeſſionis regula ex auctoritate Eccleſiæ accipienda eſt.

Ex eodem quoque libro diſcimus, antiquum

quum in Eccleſia Romana morem fuiſſe, vt Archiparaphoniſta, ſeu maximus Præcentor, ſtaret ante faciem Pontificis ſe comparantis ad celebrandum in Secretario, expectans nutum eius ad pſallendum; cúmque ille annuiſſet vt pſalleret, ſolitum Præcentorem egredi ante fores Secretarij, & dicere miniſtris, *Accendite*; ac demum, incenſis luminaribus, Pontifice foras prodeunte, Chorum cum ſuis ingredi, & incipere Antiphonam ad Introitum. Qui ritus etiamnum ſeruatur in Eccleſia Andegauenſi: ſed Verſus, *Accendite*, quaſi à Præcentore impoſitus, cani ſolet à Pſaltis & pueris ſymphoniacis in aditu Chori.

Ex antiquo ordine huius proceſsionis manauit etiam, quòd in eadem Eccleſia, dum Tertia ſolennis canitur, Diaconi & Subdiaconi, ac reliqui adminiſtri, qui Epiſcopum in Chorum præceſſerunt, ex vtraque parte Chori lineatim diſpoſiti ſtent. Nam Ordo Romanus ſtatuit, vt, Pontifice ad Altare veniente, ſeptem Subdiaconi in Choro ad lineam ſtent, quatuor à dextra parte, & tres à ſiniſtra; ſimilitérque ſeptem Diaconi, & ſeptem Ceroferarij diuidantur. Pontifex enim olim pergens ad Altare tranſibat per caput ſcholæ ſeu Chori, qui propè ab Altari diſtabat: vt

Digitized by Google

poſſet Pontifex Præcentori innuere, quotieſcumque vſus poſceret, & quæ agenda eſſent inſinuare: vnde in quibuſdam maioribus Eccleſiis oſtium patet in latere dextero Chori, quo Epiſcopus ingreſſus, per caput eiuſdem Chori procedit ad Altare. In Ordinario autem ſeu Cæremoniali antiquo Eccleſiæ Andegauenſis, ſic præſcribitur: *Dum dicitur Tertia, ſtent pueri in Choro cum ſeptem cereis ardentibus, iuxta ſepulturam Guillelmi Pontificis, & habeant duo candelabra argentea, & duo thuribula: & finitis Pſalmis, ferant omnia ante Altare vbi ſunt cruces & Reliquiæ: ſimiliter ſeptem Diaconi, & ſeptem Subdiaconi, & clerici, qui ſtabant reueſtiti, recedant, & accipiant cruces, Textus, & Reliquias, & ad proceſſionem ſequantur.*

De Proceſſione ad Euangelium.

CAPVT VI.

POſterior proceſſio Miſſæ ea eſt, quæ fit ab Altari ad Ambonem, ad legendum Euangelium; ipſa quoque & apparatu

inſignis, & ſignificatione myſtica; cuius ordo hic eſt.

Diaconus, dicto, *Munda cor meum*, accipit librum Euangeliorum de Altari, & eum vtraque manu tenens clauſum ſuper pectus, ſiſtit ſe in ſecundo gradu ante medium Altaris; vbi ſtans verſus illud, expectat donec veniat Præcentor annuntiaturus Ante-euangelium. Quo accedente, facta Altari reuerentia, conuertit ſe ad eum, &, annuntiato Ante-euangelio, ad partem Euangelij genuflexus, & conuerſus ad Celebrantem, petit benedictionem more ſolito. Qua accepta, & oſculata manu Celebrantis, ſurgit, & redit ad priorem locum ante medium Altaris: vbi ſtans, finito, *Alleluia*, Tractu, vel Sequentia, facta Altari profunda reuerentia, conuertit ſe ad Chorum, & intonat Ante-euangelium; ſtatimque procedit per dextrum Chori latus ad Ambonem, geſtans librum Euangeliorum in pectore, ſubiecto puluillo, præeuntibus duobus Thuriferariis continenter per viam incenſantibus, & totidem Ceroferariis cum cereis accenſis, minore Diacono cum cruce, & poſt eum Subdiacono maiore, Pſaltis intereà Ante-euangelium graui tenore concinentibus. Conſcenſo Ambone, cùm ad pluteum ſeu Analogium venturi

fuerit, Subdiaconus maior librum de manu Diaconi acceptum aperit, cúmque in pluteo componit, & Euangelium, quod recitandum eſt, ei digito deſignat. Tum Diaconus in ſummo gradu Ambonis conſiſtens, medius inter duos Thuriferarios & Ceroferarios, dicto, *Dominus vobiſcum*, ſignum crucis Euangelio primùm, tum fronti, ori, & pectori ſuo, extremo pollice imprimens, incipit, *Sequentia*, vel, *Initium ſancti Euangelij*, &c. &, libro ex more incenſato, pergit cantare Euangelium, iunctis manibus ante pectus: eóque finito, eodem ordine quo venerat, per ſiniſtram Chori partem redit ad Altare, ibíque librum apertum Celebranti porrigit, qui eum in principio Euangelij recitati deoſculatur: & mox eumdem librum tradit Diacono minori, qui eum per Chorum circumfert ſingulis oſculandum ordine conſueto, atque inde ad Altare reuerſus, ibi eum deponit in cornu Euangelij.

Similis eſt apud Græcos proceſſio, quæ appellatur μικρὰ εἴσοδος, id eſt, *paruus Introitus*, alias εἴσοδος τοῦ εὐαγγελίου, ſeu μετὰ τοῦ εὐαγγελίου, *Introitus Euangelij*, *ſeu cum Euangelio*; de qua proceſſione habetur in Liturgiis ſancti Marci, & ſancti Ioannis Chryſoſtomi, in Euchologio, & aliis ritua-

libus libris Græcorum. Ibi enim Sacerdos, tollens librum Euangelij de Altari, tradit illum Diacono: & ambo, exeuntes è Sacrario per oſtium boreale, veniunt ad locum conſuetum, vbi Sacerdos dicit Orationem ad proceſſionem pertinentem. Qua finita, Diaconus intendens dextram verſus Orientem, & orarium ſeu ſtolam tribus digitis apprehendens, dicit Sacerdoti; *Benedic Domine ſanctam proceſſionem.* Tum Sacerdos faciens ſignum crucis verſus Orientem, dicit, *Benedicta ſit proceſſio ſanctorum tuorum*, &c; Quo facto, Diaconus accedit ad Epiſcopum, eique offert librum oſculandum, ſi præſens fuerit; ſin ſecus, ipſi Sacerdoti: &, vltimo Tropario dicto, progreſſus in medium, & ſtans ante Sacerdotem, ſublatis paululùm manibus, oſtentat Euangelium, dicens, *Sapientia recta:* & ſanctum Euangelium deponit in Altari. Deinde, cantato Triſagio, & aliis Orationibus ac benedictionibus completis, ac demùm ipſa lectione Apoſtolica, quam nos Epiſtolam dicimus, idem Diaconus, poſtquàm quinquies per interualla Orationum ante oſtium Sacrarij inclamauit, *Attenti ſimus*, incenſato Altari, & omni Sacrario, atque inſuper ipſo velo quod obtenditur ſacris donis, accedens ad Sa-

cerdotem ante Altare, ſuſceptô in manum Euangelio, prono capite petit benedictionem. Qua accepta, egreſſus è Sacrario, præeuntibus lampadibus & thure, accedit ad Ambonem: Sacerdos verò ante ſacrum Altare conſiſtens, conuerſo vultu ad occidentem Solem, intenta voce dicit, *Sapientia recta, audiamus ſanctum Euangelium;* &c. poſtquàm Diaconus dixit; *Lectio ſancti Euangelij ſecundùm N.* Sacerdote interfato, *Attenti ſimus*, pergit, & legit Euangelium: eóque finito, rediens ad oſtium Sacrarij, librum ipſum Euangelij reddit Sacerdoti, qui ei pacem conceptis verbis apprecatur. Proceſſionis huius prodeuntis ordinem ſic deſcribit Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo. *Præferuntur faces, & Diaconi bini, iterúmque bini, cum ſacro Euangelio præcedunt, & Epiſcopi latus vtrumque Diaconi tegunt: à tergo autem Sacerdotes reliqui ſequuntur, & illud, Venite, Chriſtum adoremus, clariſſima voce cantant: & Epiſcopo fauſtum acclamatur.*

In Miſſa Æthiopum, ſimiliter ante recitationem Euangelij Diaconus circuit Eccleſiam, clamando; *Surgite, audite Euangelium ſanctum, & bonam annuntiationem Domini noſtri, & Saluatoris noſtri Ieſu Chri-*

ſti: Sacerdos autem, accipiendo Euangelium verſus populum, illud ter incenſat, & facta ſolenni precatione ad benedictionem Introitus in Eccleſiam, ipſe cantat Euangelium, accenſis luminaribus, & alio omni apparatu ex more adhibito.

Inter cætera (ait Concilium Valentinum c. 1.) *hoc eſſe cenſuimus obſeruandum, vt ſacro-ſancta Euangelia, ante munerum illationem, in Miſſa Catechumenorum, in ordine lectionum poſt Apoſtolum legantur: quatenus ſalutaria præcepta Domini noſtri Ieſu Chriſti, vel ſermones Sacerdotis, non ſolùm fideles, ſed etiam Catechumeni ac pœnitentes, & omnes qui è diuerſo ſunt, audire licitum habeant:* nempe vt ex ea lectione, tum diuinorum præceptorum, tum myſteriorum fidei notitiam, & Chriſtianæ vitæ diſciplinam hauriant. Hoc iam ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Eccleſia obſeruatum fuiſſe docet Clemens Romanus, Apoſtolic. Conſtitut. lib. 2. c. 57. & Liturgia S. Marci. Et ita ſentit Valafridus Strabo libro de exord. & increm. c. 22. his verbis. *Lectiones Apoſtolicas, vel Euangelicas, quis ante celebrationem ſacrificij primùm ſtatuerit, non adeo certum eſt. Creditur tamen à primis ſucceſſoribus Apoſtolorum eamdem diſpenſationem factam, ea præcipuè causâ, quia in Euangeliis*

eadem ſacrificia celebrari iubentur : & in Apoſtolo, qualiter celebrari debeant, docetur: & vt, ante ſanctiſſimæ actionis myſterium, ex Euangelio ſalutis & fidei ſuæ recognoſcerent fundamentum; & ex Apoſtolo eiuſdem fidei, & morum Deo placentium, caperent inſtrumentum. Honorius autem in Gemma lib.1.c.88.ſcribit: *Epiſtolam & Euangelium Alexander Papa legi ad Miſſam conſtituit: Hieronymus autem presbyter Lectionarium, & Euangeliarium, vt hodie habet Eccleſia, collegit.* Sed, quia Euangelium caput eſt & complementum Scripturarum, vt loquitur idem Clemens lib.1.c.5. eſt arca teſtamenti æterni, eſt theſaurus omnium Sacramentorum, conſiliorum & præceptorum ſalutis, eum repræſentans docentem in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi: idcirco Eccleſia, vt fidelium attentionem & reuerentiam erga illud excitet, ſingulari vtitur cæremoniarum apparatu, & ordine quodam myſtico, in eius recitatione.

Proceſſio Diaconi, ab Altari ad legendum Euangelium euntis, ſignificat miſſionem Apoſtolorum in vniuerſum mundum, ad prædicandum omni creaturæ. Idcirco, antequam ab Altari proficiſcatur, benedictionem accipit à Celebrante, tanquam à

Chriſto poteſtatem euangelizandi, qui *dat Verbum euangelizantibus virtute multa*, Pſal. 67. & oſculatur eiuſdem manum, quaſi de manu Chriſti accipiens præceptum euangelizandi ex charitate, vt operibus exhibeat id quod verbo prædicat. Vnde dicit Amalarius lib. 3. cap. 18. *Intendat diligenter Diaconus, vt cor eius cum dominicis verbis vadat, & non ſit infructuoſa oratio Sacerdotis; Dominum in mente teneat, quem ſuſcipit per benedictionem Sacerdotis.* Cur verò Diaconus lecturus Euangelium petat benedictionem à Celebrante, non autem Subdiaconus lecturus Epiſtolam, hanc rationem reddit Rupertus lib. 1. de diuin. offic. c. 36. *Legem enim* (inquit) *& Prophetas inuiſibilis inuiſibiliter miſit: Apoſtolos autem & Euangeliſtas, quorum Diaconus perſonam gerit, viſibilis factus, & ſanctam Eccleſiam, ſponſam videlicet ſuam, oſculans oſculo oris ſui, viſibiliter miſit & docuit.* Poſſumus addere aliam rationem: quia nempe lex vetus, in officio Subdiaconi per Ioannem Bapriſtam repræſentata, cùm adueniente Euangelio deſierit (*Lex & Prophetæ vſque ad Ioannem, & ex eo regnum Dei euangelizabitur*, Lucæ 16.) iam non eſt opus miſſione vlla ad eam prædicandam.

Codicem Euangelij accipit de Altari, ſicut

tabulæ Teſtamenti de monte Sinai acceptæ ſunt à Moſe, & corã populo portatæ, Exodi 34.& 35.ait Durandus lib.4.Rational. c.6. Eumdem codicẽ fert in pectore; quia præcipuum ſtudium Euangelici præconis eſſe debet, vt ſciat legem Chriſti, & Euangelicæ doctrinæ amorem in corde gerat, quemadmodum S. Antonius de Padua, quem ſummus Pontifex *Arcam Teſtamenti* appellauit. Sed, vt codex iſte molliùs inſideat pectori, puluillus ſubſternitur, de quo Ordo Romanus, Rupertus lib. 1. c. 36. Hugo à ſancto Victore, lib. 2. Eruditionis Theologicæ c. 20. & Durandus Rational. lib.4. c. 24: vt indicetur, iugum legis Chriſti ſuaue eſſe, & onus præceptorum eius leue, mediante gratia quæ datur in nouo Teſtamento, de qua S. Auguſtinus libro de perfectione iuſtitiæ: *Perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam leuem, non ſolum non prementem onere ponderum, verùm etiam ſubleuantem vice pennarum.* In Ordine Romano Diaconus, accepta benedictione à Sacerdote, oſculans Euangelium, leuat in manus ſuas codicem in quo lecturus eſt, & partem eius in dextro humero ponens, vadit ad Ambonem; ob eamdem haud dubiè cauſam, quaſi iugum legis Chriſti facilè & alacriter in humeros

tollens, & non grauatè ferens.

Defertur idem liber cum pompa & inſigni ornatu, *propter debitum honorem* (inquit Alcuinus) *tanquam perſona præpotentis, præcedentibus ac ſequentibus miniſtris conſtipata, cùm procedit in publicum*, ſcilicet quaſi ferculum Regis Chriſti, in prædicatoribus ſuis per vniuerſum mundum cum honore delati. Etenim (vt eſt apud Nicephorum lib. 12. c. 34.) *Euangelium perfectam Chriſti refert imaginem*: & Simeon Theſſalonicenſis in libro de templo, c. de ſacra menſa; *Per Epiſcopum Ieſus ſignificatur: quem & ſacrum Euangelium in Altari conſpicuum, & crux ſacrificium eius indicat.* Qua de cauſa olim in Conciliis in ſublimi throno, vel in Altari ad id exſtructo, cum regio quodam apparatu conſtitui ſolitum fuit, vice Chriſti præſidentis & iudicantis; vt in Epheſino, Calchedonenſi, Lateranenſi ſub Martino I. & Florentino. De Epheſino Cyrillus Alexandrinus, qui ei auctoritate Apoſtolica præfuit, in Apologetico loquens, *Sancta*, inquit, *Synodus in ſancta Eccleſia, quæ Maria vocatur, congregata eſt, Chriſtumque confeſſorem capitis loco adiunxit. Venerandum enim Euangelium in ſancto throno collocauit, tantùm non in aures Sacerdotum clamans, iuſtum iudicium*

indicate. Ideo, Sanctus Iſidorus Pelúſiota Epiſt. 136. libri primi, vocat εὐαγγέλια προσκυνητὰ, id eſt, *adoranda Euangelia*: & in Miſſa, quacumque Diaconus incedit cum Euangelio, omnes ei, vt Chriſto prætereunti, honoris cauſa aſſurgunt: & in c. *Apoſtolica.* de Conſecrat. diſt. 1. ab Anaſtaſio primo ſtatutum eſt, *vt, dum ſancta Euangelia in Eccleſia recitantur, Sacerdotes & cæteri omnes præſentes, non ſedentes, ſed venerabiliter curui in conſpectu Euangelij ſtantes, Dominica verba intentè audiant, & fideliter adorent.* Quod iam olim in exordio naſcentis Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis ſancitum fuerat, apud S. Clementem lib. 2. Conſtitut. Apoſt. c. 57. Atque hinc profecta eſt religioſa illa Eccleſiæ conſuetudo, vt ad tria Cantica, *Benedictus, Magnificat*, &, *Nunc dimittis*, qui vulgò Pſalmi Euangelici dicuntur, & ad lectionem Euangelicam in Matutino officio, ſtent omnes in pedes; quia illa de Euangelio ſumpta ſunt. Vbi obſeruare conuenit quod Canon, *Apoſtolica*, præcipit, *vt venerabiliter in conſpectu Euangelij ſtent*, id eſt, erecti in pedes, eo ſtatu & compoſitione corporis quæ reuerentiam præ ſe ferat: contra quod faciunt qui interea deſident, aut ſupini accubant ſuis ſubſelliis, aut proclinati in alte-

rum latus incumbunt, etiam dum legitur Paſſio Domini.

De thure & cereis præcedentibus, in ſuperiori proceſſione dictum eſt: quibus addimus teſtimonium Simeonis Theſſalonicenſis de thure, citato libro de templo. *Ante Euangelium* (inquit) *thymiama,* id eſt, *incenſum datur, propter datam à Chriſto gratiam Spiritus toti mundo.* Et S. Hieronymi lib. contra Vigilantium, de cereis: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, iam Sole rutilante: non vtique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Rupertus lib. 1. c. 36. de vtriſque. *Præcedunt* (inquit) *Ceroferarij, cum thuribulo; per quæ ſignificantur gaudium & bona opinio. Gaudium enim ſemper eſt in bono nuntio. Bonæ quoque opinionis ſe eſſe nouerunt, qui hoc bonum portant nuntium; qui & confidenter dicunt, Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco. Quapropter incenſum, bonæ opinionis ſignum, locum ipſum aſpergit in quo legendum eſt Euangelium.* Quo loco alludit Rupertus ad notationem nominis, Euangelium, quod ſignificat Græcè bonum nuntium. Apud Græcos, *Deputati dicuntur duo illi miniſtri, qui, mandyis induti, cum lampadibus procedunt ante Euangelium, quando in*

Miſſa defertur ad Ambonem, vel in magnâ εἰσόδῳ ante ſacra dona, vt ſcribit Ioannes Citrius in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam, lib. 5. Iuris Græco-romani.

Crux verò hîc ſublimis ante Euangelium portatur; quia gloria Euangelij eſt, prædicare Chriſtum, & hunc crucifixum.

Progrediente Euangelio, canitur in Choro Antiphona, quæ Ante-euangelium dicitur, ſignificans applauſus & acclamationes populorum Euangelicam veritatem cum gaudio & admiratione ſuſcipientium, ad inſtar puerorum Chriſto Ieruſalem venienti acclamantium, *Benedictus qui venit in nomine Domini*; quæ ipſa verba in Liturgia ſancti Ioannis Chryſoſtomi canuntur à Sacerdote & Diacono in ſecunda ſtatione proceſſionis Euangelij. Huius Antiphonæ meminit Durandus Rational. lib. 4. c. 24. eamque teſtatur in quibuſdam Eccleſiis in præcipuis feſtiuitatibus cantari, Diacono proficiſcente ad legendum Euangelium. Radulphus Tungrenſis libro *de Canonum obſeruantia*, propoſitione 23. de eadem ſic: *Tertia* (lectio Miſſæ) *de ſancto Euangelio: ante quod, & poſt quod, cantantur Antiphonæ, quæ dicuntur Ante-euangelium, & Poſt-euangelium, quibus carent Romani.*

Lecturus Euangelium Diaconus ſugge-

ſtum ſeu locum editiorem conſcendit, ad imitationem Chriſti in monte docentis; iuxta illud Iſaiæ 4. *Super montem excelſum aſcende tu, qui euangelizas Sion, exalta in fortitudine vocem tuam, qui euangelizas Ieruſalem*: vt è ſublimi loquens ab omnibus exaudiatur, & ſignificetur virtus Euangelij, quæ è cœlo profecta omnes orbis partes Apoſtolorum prædicatione peruaſit; *In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Amalarius lib. 3. de Eccleſ. offic. c. 18. *Excellentior locus, in quo Euangelium legitur, eminentiſſimam doctrinam Euangelicæ prædicationis, atque maniſeſtiſſimam auctoritatem iudicandi, ſignat.* Obſeruandum autem hîc eſt ex Ordine Romano, ſoli Diacono licere ad pronuntiandum Euangelium aſcendere in ſummum gradum Ambonis, propter ſublimitatem & eminentiam doctrinæ Euangelicæ: Subdiaconum autem pro legenda Epiſtola, & alios qui veniunt ad cantandum Reſponſorium, ſeu *Alleluia*, debere conſiſtere in inferiore gradu: atque hæc cauſa eſt cur Reſponſorium appelletur *Gradale*, ſeu, *Graduale*; quia in gradu aſcenſionis Ambonis canitur: ἄμβων enim Græcis dicitur quaſi ἀνάβων, παρὰ τὸ ἀναβαίνειν, *locus ad quem aſcendendo peruenitur*: quo vi-

detur alluſiſſe Concilium Laodicenum canone 15. πλέον τῶν κανονικῶν ψαλτῶν, τῶν ἐπὶ τὸν ἄμβωνα ἀναβαινόντων, id eſt, *præter cantores ordinarios, qui ad pulpitum* ſeu ambonem *aſcendunt*. Quo de ritu ſic vetus Expoſitio Miſſæ; quæ habetur tomo 6. Bibliothecæ Patrum: *Vbi autem Euangelium legitur, ibi Epiſtola legi non debet, ſed in ſubteriori gradu: quia Ioannis prædicatio ad Euangelij Chriſti altitudinem aſcendere non potuit.* Atque idem dicit de Reſponſorio, & *Alleluia.*

Præcedit Subdiaconus Diaconum, atque adeo manibus vacuis, ſine vllo geſtamine; ſignificans legem (ex interpretatione Stephani Eduenſis, lib. de Sacramento Altaris, c. 12. Innocentij & Durandi ſuprà) quæ præceſſit Euangelium; & illud multiplicibus figuris præſignauit; ſed, adueniente Euangelio, vmbra eius euanuit, quia eius vacua & egena elementa tranſierunt in veritatem & efficaciam Sacramentorum gratiæ Euangelicæ. Vnde S. Iuſtinus Martyr, in Reſponſionibus ad Orthodoxos, reſp. 101. *Quid enim ex lex? Euangelium prænuntiatum: Quid Euangelium? lex completa.* Atque eadem de cauſa idem Subdiaconus, librum aperiens Diacono, Euangelium legendum digito præmonſtrat, deſinentis le-

gis

gis extremum præconium indicans, quo Ioannes Baptiſta Meſſiam iam præſentem digito deſignauit, dicens, *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.*

Diaconus incipiens Euangelium, primò librum, deinde ſeipſum, in fronte, ore, & pectore, crucis impreſſione ſignat: quia Chriſtiani inſtituti eſt, omnem actionem, præſertim ſacram, à crucis ſigno auſpicari; tum vt ea hoc ritu ſanctificata Deo dicetur; tum vt vis aduerſaria Dæmonis, ne operi noceat, effugetur. Signat priùs librum quàm ſeipſum: quia crucis myſterium ab Euangelio diſcimus, vt ſciamus qua ratione Chriſti mortificationem in corpore noſtro, iuxta Pauli dictum, portare debeamus. Signat ſe in fronte, quæ ſedes eſt pudoris, profitens ſe non erubeſcere Euangelium Chriſti, vt idem Paulus loquitur, ſed crucis eius ignominiam in gloriam deputare: *Vſque adeo de cruce non erubeſco* (inquit S. Auguſtinus Enarrat in Pſal. 141.) *Vt non in occulto habeam crucem Chriſti, ſed in fronte portem.* Signat in ore, vt mundentur labia ſua ad dignè pronuntiandum eloquium Dei; ſicut S. Porphyrius, qui diſputaturus cum Manichæo, ſumpto Euangelio, ſignum crucis ori ſuo impreſſit, apud Marcum Diaconum in eius vita. Signat in

pectore; vt omnis vana & immunda cogitatio à corde pellatur, ne quid impediat, quominùs puro corde Euangelium Dei annuntiare poſſit. Sic de ſigno crucis quo notantur Chriſtiani in Baptiſmo, Guillelmus Pariſienſis, libro de Sacramentis, in fine Tractatus de Baptiſmo. *Quia crux Chriſti & Iudæis ſcandalum erat, & gentibus ſtultitia: ideo in fronte vt gloria, & in pectore vt ſapientia vera pingitur Chriſtianis: ſiquidem pectus ſapientiæ ſedes, & frons gloriæ dicitur, quemadmodum pudoris & ignominiæ.* Singulare eſt quod ſcribit Simeon Theſſalonicenſis libro citato, Hierarcham ſeu Epiſcopum ſignare Euangelium τριχηρίῳ, id eſt, triplici ſeu trifido cereo: vt ſignificetur, illuminatione per Incarnationem Chriſti non ſolùm in terra homines, ſed in cælis quoque Angelos illuſtratos fuiſſe; & eum ipſum, qui caro factus ſit, Dei filium eſſe; & in eodem Euangelio Trinitatis prædicationem contineri, & ſanctificationem per Trinitatem factam; & Chriſtum, vbi in cælum migrauit, ſplendorem Trinitatis (cuius typus eſt lumen) & benedictionem nobis tribuiſſe. Triplex illud in vno cereo lumen exprimit id quod S. Gregorius Nazianzenus dicit de Deo, Orat. 43. φῶς τρίλαμπές, *lumen trino ſplendore fulgens*: qua

voce etiam vtuntur libri rituales Græcorum; qui ob eamdem rationem Deum indigitant τριήλιον, id eſt, triplicem Solem.

Salutat populum, dicens, *Dominus vobiſcum; quatenus* (ait Alcuinus) *corda illorum à mundanis cogitationibus emundet, & ad ſuſcipienda verba ſalutifera aperire dignetur.* Honorius in Gemma, lib. 1. c. 13. id ita interpretatur: *Diaconus*, inquit, *cùm aſcenderit in Analogium, primùm ſalutat populum per, Dominus vobiſcum; quia Apoſtoli, quamcumque domum prædicaturi intrauerunt, primùm per, Pax huic domui, auditores ſalutauerunt.* Rupertus autem lib.1.c.36. ſic explicat. *Summa verò reuerentia debetur ad audiendum Euangelium, quòd maximè eſt verbum Dei: quam Diaconus primâ voce, quam emittit, ſatis venerabiliter exigit, dicendo, Dominus vobiſcum. Cuius enim meliùs, quàm Domini præſentia, reuerentes & religioſi auditores petitum debent præſtare ſilentium? Attenti ergo & beneuoli ſunt illicò, & eò cordibus conuerſi & vultibus, reſpondent, Et cum ſpiritu tuo.* Ad hanc ſalutationem Sacerdos & circumſtantes ſe in fronte ſignant; vt profiteantur poſt Diaconum, ſe quoque non erubeſcere Chriſtum crucifixum, ſed gloriari in eius cruce, in quo eſt ſalus, vita, &

reſurrectio noſtra : in pectore verò, vt muniant ſe, ne veniat Diabolus, & tollat verbum de corde eorum, ne credentes ſalui fiant. Innocentius tertius, lib. 2. de offic. Miſſæ, cap. 38. dicit, Diaconum ſignare librum & oſculari, quaſi dicat, *Hic eſt liber Crucifixi, per quem reconciliationem accepimus.* Scribit Simeon Theſſalonicenſis libro citato, apud Græcos Epiſcopum, dum Euangelium legitur, ὠμοφόριον deponere, ſeruitutem ac ſubiectionem ſuam erga Dominum demonſtrantem. Quoniam enim ille per Euangelium loqui cognoſcitur, & tanquam coràm adeſt, ipſe tunc monumentum Incarnationis eius geſtare non audet, ſed ab humeris ablatum Diacono tradit, neque illud ſumit niſi poſt communionem. Eſt autem ὠμοφόριον (vt idem Auctor exponit) veſtis genus ex lana confectum; in orbem humeros antè & retrò conueſtiens: quod carnem à Verbo ex Virgine propter nos ſuſceptam, humanæque naturæ aſſumptionem demonſtrat. Ideo enim ex lana texitur, quoniam erraticam ouem, hoc eſt, naturam noſtram ſignat, &, quoniam ipſe quoque Agnus pro nobis occiſus vocatus eſt: vnde Epiſcopus, dũ illud induit, dicere ſolet: *Sublata in humeros, Chriſte, natura quæ errauerat, aſſumptus, Deo & Patri illam obtu-*

liſti. Idem planè ſcripſit ante Simeonem S. Iſidorus Peluſiota Epiſt.136. lib.1. *Omophorium autem Epiſcopi* (inquit) *cùm ex lana, non ex lino, contextum ſit, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque humeris ſuis ſuſtulit, pellem deſignat. Epiſcopus enim, qui Chriſti typum gerit, ipſius munere fungitur, atque ipſo etiam habitu illud omnibus oſtendit, ſe boni illius ac magni paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit. Ac diligenter attende. Nam, cùm ipſe verus paſtor per adorandorum Euangeliorũ apertionem accedit, tum demùm Epiſcopus aſſurgit, atque imitationis habitum deponit: ſignificans, adeſſe Dominũ ipsũ, paſtoralis artis ducem, & Deum, & herum quidem ſuum.*

Addit Alcuinus ex Ordine Romano: *Perlecto Euangelio, iterum ſe ſigno crucis populus munire feſtinat; vt, quod ex diuinis eloquiis ad ſalutem percepit, ſignatum ſigillo crucis atque munitum permaneat, ne a mentibus eorum diabolica fraude euacuari valeat.*

Diaconus reuerſus ad Altare, Celebranti offert librum Euangelij apertum, dicens, *Hæc ſunt verba ſancta*: Celebrans autem oſculatur Euangelium, reſpondens, *Credo & confiteor*, & ſubdens, *Per euangelica dicta deleantur noſtra delicta*. Deinde qui ſunt in Choro, Diacono minore circumferente

per ſuperiora ſubſellia librum clauſum, & ſingulis inſinuante, *Hæc ſunt verba ſancta*, eumdem dato oſculo venerantur, dicentes ſimiliter, *Credo & confiteor*. Quo de ritu inter alios egregie Ionas Aurelianenſis, in Præfatione libri 2. de cultu imaginum: *Volo ergo* (inquit, Claudium Taurinenſem alloquens) *vt mihi reſpondeas, cuius cauſâ caput inclinaſti* (codici Euangelij) *pellium, vel atramenti, an Dei auctoris legis eiuſdem? Nam ſacræ religionis vſus in ſancta Eccleſia adhuc ſeruatur* (*ſi tamen apud te*) *vt, perlecta ſacri Euangelij lectione, ab Epiſcopo, vel Presbyteris, cæteriſque ſacri ordinis religioſis, codex, in quo Euangelij lectio recitata eſt, multiplicibus oſculis veneretur. Sed hoc cuius causâ, niſi illius, cuius eſſe verba creduntur, agimus?* Oſculum iſtud Chriſto in Euangelio datum ſignificat actum fidei internum, quo aſſenſum præbent omnes veritati Euangelicæ annuntiatæ, eam acceptando: verba autem oſculo ſuperaddita, actum externum, quo eamdem fidem palàm profitentur, iuxta illud Roman. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem:* quam ſingulorum confeſſionem ſtatim ſubſequitur communis & publica Eccleſiæ profeſſio, omnibus vno ore canentibus Symbolum Concilij Nicæni. Qua de re ſic

S. Thomas 3. p. q. 83. art. 4. *Perfectè autem populus inſtruitur per doctrinam Chriſti in Euangelio contentam, quæ à ſummis miniſtris legitur, ſcilicet à Diaconibus. Et, quia Chriſto credimus tanquam diuinæ veritati, (ſecundum illud Ioann. 8. Si veritatem dico vobis, quare non cr ditis mihi?) lecto Euangelio, Symbolum fidei cantatur, in quo populus oſtendit, ſe per fidem Chriſti doctrinæ aſſentire.*

De Proceſsione in Feſto Purificationis B. Mariæ.

CAPVT VII.

FEſtum Purificationis Beatæ Mariæ Græco nomine *Hypante*, ſeu, *Hypapante* dicitur, quaſi *Occurſus*, quo alicui obuiàm itur honoris & officij gratia: quòd ab Eccleſia inſtitutum fuerit in memoriam illius diei, quo Chriſto, cum matre & Ioſepho ad templum accedenti, obuiàm venerunt Simeon & Anna, gratulantes, & benedicentes Deum, Lucæ 2. vnde huius ſolennitatis Officium exorditur Eccleſia ab Inuitatorio, *Ecce venit ad templum ſanctum ſuum dominator Dominus; gaude & lætare*

Sion, occurrens Deo tuo Cuius occurſûs myſterium vt ritè celebretur, inſtituta eſt ſolennis proceſſio cum luminaribus ad eum vſum benedictis: qua fideles, Chriſto ſalutis ſuæ cauſa in mundum venienti occurrentes, vt eum pio affectu, & grati animi complexu, excipiant ac venerentur, lucentium candelarum ſymbolo profitentur fidem ſuam de veritate humanitatis & diuinitatis eius; carnis ſanctitatem purâ cerâ, diuinitatis gloriam lumine ex benedictione indito ſignificantes: ac ſimul eidem gratiarum actionis & laudis hymnos accinunt de cordibus ſuis, quòd venerit *Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis ſuæ Iſraël;* confitentes, ſe de eius plenitudine omnem gratiam ſanctificationis & doctrinæ cœleſtis accepiſſe, ſicut de igne Cerei Sacerdotalis, qui Chriſtum repræſentat, omnes omnium cerei lumen concipiunt; atque, in tanti beneficij gratiam, ei ſua corda, ſinceræ charitatis igne ardentia, offerunt.

De cauſa inſtituendæ huius proceſſionis ita Venerabilis Beda, libro de temporum ratione, c. 10. *Secundum menſem Numa dicauit Februo, id eſt, Plutoni, qui luſtrationum potens credebatur, luſtrarique eo menſe ciuitatem neceſſe erat; quo ſtatuit vt iuſta* (id eſt,

ſacrificia, vt ipſe interpretatur libro de diuiſionibus temporum) *Diis manibus ſoluerentur. Sed hanc luſtrandi conſuetudinem benè mutauit Chriſtiana Religio, cùm in menſe eodem, die ſanctæ Mariæ, plebs vniuerſa cum Sacerdotibus ac miniſtris, hymnis modulatæ vocis per Eccleſias, pérque congrua vrbis loca procedit, datóſque à Pontifice cuncti cereos in manibus geſtant ardentes: & , augeſcente bona conſuetudine, idipſum in cæteris quoque eiuſdem beatæ Matris & perpetuæ Virginis feſtiuitatibus agere didicit; non vtique in luſtrationem terreſtris imperij quinquennem, ſed in perennem cæleſtis regni memoriam; quando, iuxta parabolam virginum prudentium, omnes electi, lucentibus bonorum actuum lampadibus, obuiàm ſponſo ac regi ſuo venientes, mox cum eo ad nuptias ſupernæ ciuitatis intrabunt.* Quod ibi de ſublatis Lupercalibus ſcribit Beda, id præſtitum eſt à Damaſo I. vt conſtat ex libello eiuſdem aduerſus Andromachum tomo Conciliorum. Notandum præterea, quod dicit idem Beda, fideles datos à Pontifice cereos geſtare, id eò pertinere vt ſignificetur myſterium illuminationis gratiæ & fidei, quam omnes à Chriſto accipimus: vnde in Miſſali Romano Celebrans diſtribuit candelas accenſas ſingulis ad ſe accedentibus, &

cum oſculo manus ipſius accipientibus: & ſimiliter in antiquo Ordine Romano; quod idem repetit Alcuinus libro de diuin. offic. c. de Purificatione. Et ſimiliter in Dominica Palmarum, iuxta Ordinem Romanum, Sacerdos populo diuidit ramos benedictos.

Auctorem eiuſdem proceſſionis Sergium Papam primum extitiſſe tradit Ordo Romanus ex Geſtis Pontificalibus: ſed eam ante id tempus in Gallia vſitatam fuiſſe, argumento eſſe poteſt ſancti Eligij Nouiomenſis, qui Sergij pontificatum anteceſſit, Homilia ſecunda de vſu luminarium, habita in die Purificationis, in qua ita ſcribit: *Conſuetudo eſt Eccleſiaſtica, vt hac die geſtantes manibus lumina, Miſſarum ſolennia celebremus.* Et certè verba libri Pontificalis in vita Sergij videntur tantùm ſignificare, Romæ ipſum Sergium inſtituiſſe, vt ab Eccleſia Sancti Adriani ad ſanctam Mariam Maiorem ſupplicatio procederet. Sic enim habent: *Conſtituit autem, vt diebus Annuntiationis Domini, Natiuitatis, & Dormitionis ſanctæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, ac ſancti Simeonis, quod Hypapanten Græci appellant, Litania exeat à S. Adriano, & ad ſanctam Mariam populus occurrat.*

Feſtum verò ipſum apud Conſtantinopolim colendum edixiſſe Iuſtinianum Seniorem, auctor eſt Nicephorus, lib. 17. Hiſt. Eccleſ. c. 28. & ita habet Vſuardi Martyrogium 2. Februarij: *Hypante Domini, & Purificatio beatæ Virginis: quod Feſtum tempore Iuſtiniani Imperatoris apud Byzantium ſeu Conſtantinopolim ſumpſit exordium.* Cui conſentanea ſcribit Siffridus, Epitomes lib. 1. anno 551. Atque id Sigebertus in Chronico, anno Chriſti 542. factum ſcribit, exorta apud Conſtantinopolim graui peſtilentia, quæ ea ratione ſedata fuerit. Idem teſtatur Landulphus Sagax in vita Iuſtiniani, his verbis. *Anno quintodecimo Imperij Iuſtiniani, menſe Octobri, facta eſt mortalitas Byzantij. Et eodem anno Hypapante Domini ſumpſit initium, vt celebraretur apud Byzantium ſecunda die Februarij menſis.*

De Proceſsione in die Cinerum.

CAPVT VIII.

ORiginem traxit hæc proceſſio ex antiquo ritu publicæ & ſolennis pœni-

tentiæ. Eo enim die olim (vt patet ex c. *In capite*. diſt. 50. ex Ordine Romano, & Pontificali) Pœnitentes, id eſt, ij quibus ob grauius aliquod crimen admiſſum publicè agenda pœnitentia imponebatur, repræſentabant ſe Epiſcopo ante fores Eccleſiæ, ſacco induti, nudis pedibus, vultu in terram demiſſo, reos ſe eſſe ipſo habitu proteſtantes; &, cùm iis pœnitentia pro modo culpæ iniuncta fuiſſet, introducti in Eccleſiam humi proſternebant ſe: Pontifex autem in genua procidens, cum vniuerſo Clero Pſalmos pœnitentiales cum lacrymis pro eorum abſolutione decantabat; ac poſtmodùm ſurgens manus eiſdem imponebat, cinerem capitibus immittebat, ac, ſuperfuſa aqua benedicta, eadem cilicio obuoluebat; denuntiabatque iis, quòd, ſicut Adam eiectus fuerat de paradiſo propter tranſgreſſionem ſuam, ita ipſi à ſinu matris Eccleſiæ propter peccata ſua ejiciebantur: atque illicò iubebat miniſtris vt eos extra ianuas Eccleſiæ expellerent: exeuntes verò illos Clerus proſequebatur, cantans Reſponſorium, *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo;* vt videntes ſanctam Eccleſiam pro facinoribus ſuis tremefactam atque commotam, non parui penderent pœnitentiam.

Etſi autem vſus iſte eiectionis Pœnitentium iam deſitus ſit, retinuit tamen Eccleſia expreſſam eius imaginem in proceſſione quam hoc die obſeruat, iuxta Ordinem Romanum, & Alcuinum lib.de diuin. off. benedicendo cineres, & eos aſpergendo capitibus fidelium in ſignum pœnitentiæ (omnes nimirum pro reis accipiens, quia omnes peccauerunt) cantando Reſponſoria quibus inuitantur ad pœnitentiam; deducendo eos foras, vt intelligant, ſe peccatis ſuis eſſe commeritos vt à facie Dei, & communione ſanctæ Eccleſiæ, ejicerentur; ac ſubinde eos intra Eccleſiam reducendo, vt ſperent Dei benignitate ſe in gratiam receptum iri, ſi pœnitentiam egerint; ac demùm ſuper eos recitando Pſalmos pœnitentiales cum Litaniis; vt ille, tot repetitis Sanctorum ſuffragiis exoratus, faciat cum ſeruis ſuis ſecundùm multitudinem miſericordiæ ſuæ.

De Proceſsione Palmarum.

CAPVT IX.

PRoceſſio Dominicæ Palmarum (quæ Græcis βαϊοφόρος dicitur, ſeu κυριακὴ τῶν βαΐων, & ἑορτὴ τῶν βαΐων) ex eo nomen accepit, quòd inſtituta fuerit in memoriam celebris illius triumphi, quem egit Chriſtus aſino inſidens, cùm Bethania Ieroſolymam venienti obuiàm proceſſerunt populorum turbæ cum ramis palmarum, laudantes Deum voce magna ſuper omnibus quas viderant ab eo fieri virtutibus, progredienti veſtes ſuas honoris causâ ſubſternentes, virentes ramos paſſim toto itinere ſpargentes, regem eum conſalutantes, acclamantéſque, *Hoſanna, benedictus qui venit in nomine Domini Rex Iſraël*: cúmque hac pompa inuectus in vrbem templum eſſet ingreſſus, eiectíſque inde negotiatoribus, cæcos & claudos in oculis omnium ſanâſſet, puerorum quoque concors acclamatio erupit, ei accinentium, *Hoſanna filio Dauid*: vt ex ore infantium & lactentium laus à maioribus

natu inchoata, iuxta propheticum vaticinium, perficeretur; Matth. c. 21. Marci 11. Lucæ 19. & Ioan. 12.

Cuius triumphi myſterium ita breuiter explicat Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 27. *In ramis palmarum ſignificabatur victoria, qua erat Dominus mortem moriendo ſuperaturus, & trophæo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus: in aſello autem, ſuper quem ſedendo Ieroſolymam venit, indicabat ſimplicia corda Gentilitatis, quæ præſidendo atque regendo perducebat ad viſionem pacis.* Copioſiùs S. Ambroſius Sermone 45. de Tempore. *Veniente Domino noſtro Ieſu Chriſto ad vrbem Ieruſalem ante ſex dies paſsionis ſuæ, turba multa, quæ conuenerat Ieroſolymis, vt ſecundum præceptum Moyſi Paſcha celebraret, accipiens ramos palmarum occurrit illi obuiam: vt in palmis victoriam Chriſti oſtenderent, velut terreni regis in populo Iſraël: conſuetudo enim eſt vt victoribus palma offeratur. Alij autem de eadem turba ramos cædebant de arboribus, maximè oliuarum, quia in monte Oliueti res agebatur: & eos portabant, vt, vbi opportunum eſſet, venienti Domino planum ſternerent iter. Hinc deſcendit conſuetudo hodiernæ feſtiuitatis, vt pſallentes ramos palmarum ſiue oliuarum portemus in manibus, & eamdem feſtiuitatem Palmarum ſiue*

Oliuarum vocitemus. Sed non abſque magno Sacramento rami iſtarum arborum feruntur. Oliua enim, quia oleum, vt ſolamen dolorum atque laborum, portat in fructu. Oleo enim quia & vulnera curantur, & æſtus leuatur, opera deſignantur miſericordiæ: ſiquidem & ipſa miſericordia Græcè dicitur ἔλεος. Palmæ autem radix aſpera eſt, ſed nitorem maximum habet in fine: oſtendens, per huius vitæ aſperitatem in decorem cæleſtis patriæ nos debere ſuſtolli. Vnde & Dauid Propheta Pſalmographus de iuſto viro canit: Iuſtus vt palma florebit. Ramos ergo oliuæ portemus in manibus, virtutem miſericordiæ exhibentes in operatione. Sumamus & ramos palmarum: vt pro miſericordiæ bono, non terrena delectamenta, ſed ſupernæ patriæ pulchritudinem expectemus, quò nos præceſsit Chriſtus Dominus noſter, qui eſt, iuxta Apoſtolum, finis legis ad iuſtitiam omni credenti. Nec prætereundum eſt à Pſalmi verſiculo, quem occurrens turba Domino decantabat: Hoſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in excelſis. Aduentus enim Domini eiuſque Incarnatio, non ſolùm hominum ſalus fuit in terra, ſed etiam Angelorum in cælo: quia, dum homines in terra ſaluantur, Angelorum numerus, qui Diabolo cadente minoratus fuerat, integratur in cælo. Hoſanna ergo in excelſis, tantumdem

eſt, tanquam ſi dicatur: Salua nos, qui etiam es ſalus in cælis. Et Sermone 46. *Super aſinam igitur Dominus ſedet, & Ieruſalem tendit, cùm animas noſtras inhabitans, mundum iſtum deſpicere, & cæleſtem patriam diligere facit. Veſtimenta in via ante Deum iactatis, ſi viam illi ad vos veniendi præparando, corpora veſtra per abſtinentiam caſtigatis. Ramos verò de arboribus præciditis, ſi ſanctorum Patrum virtutes amando, viam ad vos venienti Domino præparatis. Quid fuit Abraham? quid fuit Ioſeph? quid Dauid? quid reliqui iuſti? niſi fructiferæ arbores Eccleſiæ Dei? Diſcite ab Abraham obedientiam, à Ioſeph caſtitatem, à Dauid humilitatem, ſi perpetuam deſideratis adipiſci ſalutem. Et, quia palma victoriam ſignificat, palmas in manu rectè portamus, ſi ita ei laudes victoriæ decantamus, vt etiam benè viuendo Diabolum vincere ſtudeamus, &c.*

Hunc igitur Saluatoris triumphum, & ſub eius ſymbolo triumphum paſſionis eiuſdem repræſentat Eccleſia procedens cum ramis benedictis ad ſtationem crucis. Quo in itinere populus quidem ſilenti agmine incedit præ reuerentia, ſed Sacerdotum chori eius nomine triumphantem Christum per vias fauſtis acclamationibus proſequuntur: pueri autem hym-

num gloriæ ad templi ingreſſum concinentes, puerorum Iudæorum vicem agunt. Sacerdos fores templi ſeu portas ciuitatis pulſans, & impacta cruce aperiens, Chriſtum exprimit virtute paſſionis ſuæ portàs cæli aperientem, & de diabolo victoriam in cruce reportantem: ſicut hac die diuina virtute effecit, vt, patentibus portis ciuitatis Ieruſalem, cum honore ab vniuerſo populo, quaſi Rex Iſraël, intra mœnia exciperetur. Alias huius ritus explicationes proferimus inferiùs c. 14. Idem ritus portas aperiendi eodem prorſus modo obſeruatur in Dedicatione Eccleſiæ, tum apud Græcos, tum apud Latinos; vt videre eſt in Pontificali Romano, in Ordine Romano, & apud Nicolaum Cabaſilam lib. 5. de vita in Chriſto.

Quod verò in ipſa ſtatione ante crucem, ſurculi de ramis benedictis decerpti paſſim in terram, & ad eius ſtipitem, quaſi ad pedes Chriſti, iactantur, vel in eodem ſtipite depanguntur; eo ſymbolo populus Chriſtianus, imitans Iudæos ſternentes ramos in via, profitetur, omnem ſpem ſalutis ſibi in Chriſti morte & paſſione poſitam eſſe, omnem gratiam, omnem vim merendi & ſatisfaciendi ab illius virtute proficiſci, quaſi ſurculos ab arbore ſua pronaſcentes; ac

proinde omnia ſe opera ſua ad eius cultum & gloriam referre, omnes pios affectus in eius amorem profundere. Vnde, dum id agit populus, duo chori, diuiſis inter ſe partibus crucem adorantes, alternis verſibus ſæpius ingeminant, *hoſanna*, id eſt, *Salua quæſo*: alij quidem ante crucem, alij verò poſt eam ex aduerſo conſtituti, ſed vtrique eamdem reuerenter obtuentes: vt oculis ſpectandum exhibeant id quod Euangeliſtæ ſcripſerunt; *Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur, clamabant, dicentes, Hoſanna filio Dauid.* Quod olim dum fieret, Canonici Eccleſiæ Andegauenſis cappas, quibus eo tempore amicti eſſe ſolent, exuebant, quaſi veſtimenta ſua Chriſto ſubſternentes, iuxta Ordinem Romanum; in quo ſcholaſtici, id eſt, cantores, lento gradu venientes ante crucem, & cum omni reuerentia caſulas vel cappas in terram iactantes, proni adorant Crucifixum, Clero interim cantante Antiphonam, *Pueri Hebræorum veſtimenta proſternebant in via*, &c. alia verò ex parte pueri cantantes, *Kyrie eleiſon*, ſuccedunt ante crucem, & ramos palmarum humi ſternentes, proni quoque adorant Crucifixum, Clero interim canente Antiphonam, *Pueri Hebræorum, tollentes ramos oli-*

uarum, &c. *Et tunc* (ait Ordo Romanus) *proſternit omnis populus hinc inde flores ſeu frondes, Clero cantante Antiphonam, Cum Angelis & pueris.* Quod idem refert Alcuinus in Officio huius diei.

Iuxta Ordinem Romanum extra ciuitatem fit proceſſio, & id fermè omnibus in locis obſeruatur ad imitationem populi Ieroſolymitani, qui extra ciuitatem progreſſus obuiàm Chriſto aduenienti exiit. Et ita habuit prima inſtitutio proceſſionis Eccleſiæ noſtræ. Nam olim, etiam tempore Ludouici Pij (de quo inferiùs hoc capite) tumulus S. Michaëlis, in quo ſtatio hodierna celebratur, extra pomœrium erat.

In eadem Eccleſia noſtra, reuerſa proceſſione, in ſtatione ante Crucifixum, cantatur à Pſaltis è ſublimiore ſuggeſtu Verſus, *Vnus autem ex ipſis Caiphas,* ex Reſponſorio, *Collegerunt Pontifices*, quaſi publicè denuntiantibus vniuerſo populo prophetiam illam Caiphæ, *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*: qui ritus ſumptus eſt ex antiquo Ordine Romano, vbi duo ex paraphoniſtis aſcendentes in pulpitum imponunt idem Reſponſorium.

Scribunt, Sigebertus in Chronico, anno Domini 841. & Hugo Floriacenſis Chro-

nic. lib. 6. Theodulphum Abbatem Floriacenſem, qui poſtea fuit Epiſcopus Aurelianenſis, cùm Andegaui in carcere detineretur, ipſo die Palmarum, proceſſione Eccleſiæ Andegauenſis ſecundum eum locum prætereunte, Hymnum cui initium eſt, *Gloria, laus & honor,* à ſe in eam rem compoſitum, clara voce per feneſtram cecíniſſe: ipſum verò Imperatorem Ludouicum Pium, qui tum aderat, admirabundum reſtitiſſe, & eius carminis ſuauitate ac pietate vſque adeo fuiſſe delectatum, vt Abbatem è veſtigio liberaret. In cuius rei memoriam, cùm poſtea is Hymnus vniuerſæ Eccleſiæ vſu in Officium huius proceſsionis receptus fuiſſet, cum Eccleſia Andegauenſis, apud eumdem locum, vbi primùm auditus fuit, id eſt, ad portam Andegauinam, canere conſueuit, & ritum pulſandæ atque aperiendæ portæ ciuitatis peragere.

Apud Græcos hæc proceſsio cum inſigni apparatu & reuerentia celebratur. Scribit enim Codinus in libro de Officialibus aulæ Conſtantinopolitanæ, c. 10. proximis diebus ante Dominicam Palmarum exſtrui ſolere publicam ambulationem à palatio Imperatoris vſque ad Eccleſiam; ipſa autem nocte, quæ eam antecedit, om-

nes ambulationis columnas myrteis, lau-reis, vel oleaginis ramis ornari, & iiſdem pauimentum ſterni: tempore autem matutini Officij ſupplicationem per eam viam hoc ordine inſtrui, vt ante omnes procedat Lampadarius manu lampadem arden-tem geſtans, & modulata voce cantans hoc Idiomelon: *Egredimini gentes, egredimini populi, contemplamini hodie Regem cælorum; Chriſti enim figuram gerens Euangelium progreditur.* Sequitur Imperator diademate coronatus, & ſacco, id eſt, feſta veſte, indutus, dextera crucem præferens, ſiniſtra lampadem: deinde vniuerſus aulæ comitatus: tum Archidiaconus Euangelium geſtans; cui ſuccedit Patriarcha; poſt eum Sacerdotes quinque, vel plures, ſacras imagines portantes; &c. Quod ibi dicitur, Euangelium in proceſsione deferri ad Chri-ſtum repræſentandum; id quoque refert Alcuinus in lib. de diuin. offic. à pleriſque Eccleſiis vſurpari; vt Euangelium (*quod, inquit, intelligitur Chriſtus*) in geſtatorio decenter ornato portetur à Diaconis, cum exultatione ſubeuntibus iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue. Id verò apud nos ſuper pectus geſtatur à Diacono, ex quo apud crucem publicè legitur textus ſancti Matthæi de myſterio hodierno. In Ordine

Romano, & apud Alcuinum, quoties canitur Verſus, *Gloria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte*, conuertuntur ad ſanctum Euangelium, quaſi Chriſtum adorantes. In Triodio autem Græcorum, in Officio huius Dominicæ, Præpoſito Eccleſiæ diſtribuente ramos benedictos, ſinguli oſculantur Euangelium.

Quod pertinet ad ritum claudendi fores Eccleſiæ, & eas cum ſtatis & ſolennibus verbis aperiendi, eum obſeruant Græci in die Paſchæ, vt eſt apud Codinum libro citato c. 14. & deſcribitur à nobis inferiùs, c. 14.

De Proceſſione in die Cœnæ Domini, ad conſecrationem Chriſmatis, & Olei ſancti.

CAPVT X.

VNgendi ritu vtitur Eccleſia in quatuor Sacramentis, in Baptiſmo, Confirmatione, Ordinatione Sacerdotum, & Extrema vnctione; ac præterea in conſecratione Epiſcopi, Eccleſiæ & Altaris, Fon-

tis baptiſmalis, patenæ & calicis, & benedictione campanarum. Et harum quidem vnctionum omnium materia eſt oleum ex oliuis expreſſum: ſed in Chriſmate balſamum oleo admiſcetur, ex S. Gregorio, Expoſ. in Cantica c. 1. Innocentio tertio, c. vnico de ſacra vnctione, Concilio Bracarenſi 2. c. 4. Concilio Florentino in Decreto Eugenij quarti, & Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo, Seſſione 11. vnde apud Gregorium Turonenſem lib. 1. de gloria Martyrum, c. 41. Chriſtianus, *qui frontem Chriſmatis inſcriptione ſignatam fert*, dicitur, *balſamo vnctus*. Chriſmatis ſolius vſus eſt in Sacramento Confirmationis, & conſecratione Epiſcopi, patenæ & calicis: Chriſmatis & Olei Catechumenorũ ſimul, in Baptiſmo, in conſecratione Fontis baptiſmalis, Eccleſiæ & Altaris: Olei Catechumenorum ſolius, in Ordinatione Sacerdotum: Olei infirmorum ſolius, in Sacramento Extremæ vnctionis: Olei infirmorum & Chriſmatis, in benedictione campanarum. Sed triplex iſtud genus Olei, vt idoneum ſit organum diuinæ miſericordiæ ad vngendum ſpiritualiter, & ſanctificandum ea quibus ritè adhibetur, id accipit ex Eccleſiaſtica benedictione, & ſolenni conſecratione quæ fit quotannis ab Epiſcopo

feria quinta in Cœna Domini, de Conſecrat. diſt. 3. c. *Literis.* c. *Te referente*, de celebrat. miſſ. Clementina vnica de reliq. & veneratione ſanct. Concilio Aquiſgranenſi ſecundo c. 8. in Pontificali Romano, & in Euchologio in Ordine ſacri vnguenti; etiam tempore Interdicti, c. *Quoniam* de ſent. excom. in Sexto: nec alio die fieri debet, ex Concilio Meldenſi, c. 46. & fieri debet in Miſſa, & in Eccleſia Cathedrali, dicto c. *Te referente.*

Cur autem hac die eiuſmodi conſecratio celebretur, hanc cauſam produnt, Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 28. Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de cœna Domini, & Rabanus lib. 2. de Inſtit. cleric. c. 36: *Quia ante biduum Paſchæ Maria Magdalena caput ac pedes Domini vnguento perfudiſſe perhibetur.* Rupertus lib. 5. de diuin. offic. c. 17. aliam reddit rationem; vt nempe res ſignificata figuræ reſpondeat. Etenim, cùm hic dies quartum-decimum diem primi menſis referat, quo Exodi c. 12. agnus immolari ad veſperam iuſſus eſt, & de ſanguine eius vterque poſtis oſtij ſignari, & ſuperliminaria domorum, in quibus comedendus eſſet, vt, eo ſigno viſo, Angelus exterminator Ægypti ſacri conuiuij domos intactas præteriret: conſequens quidem erat, vt hac

ipſa nocte domus eorum in quibus Agnus comedendus eſt, id eſt, frontes eorum in quorum mentibus fides Agni Dei Chriſti reconditur, ſacro Chriſmate ſignarentur. Sed, quia interueniente die mortis Chriſti, quæ luctui & ſilentio dicata eſt, conuiuium illud Paſchale in tertium diem, qui eſt Reſurrectionis, differri oportuit; idcirco ipſa quidem ſignatio frontis ex Chriſmate in noctem Reſurrectionis, in qua Baptiſmus ſolenniter adminiſtratur, neceſſariò dilata fuit: ſed in feria quinta eiuſdem Chriſmatis conſecratio anticipatur, quia ipſa die Paraſceues, quæ ſola intermedia eſt, Miſſæ ſacrificium non celebratur, ſine quo Chriſma confici nefas eſt, ex Gloſſa in c. *Te referente*, & Hoſtienſi ibidem; quandoquidem ex præſcripto Sacramentarij S. Gregorij, Ordinis Romani, & Pontificalis, hic ritus intra Miſſæ Canonem perficiendus eſt; vnde Amalarius lib. 1. c. 12. eum vocat *ἐμβολιμ*, id eſt, *inſertionem* Officij conſecrationis corporis & ſanguinis Domini. Cuius rei ratio eſt, quia Chriſtus in vltima cœna Sacramentum Chriſmatis ſimul cum Euchariſtia inſtituit; vnde eiuſdem conſecratio fit immediatè poſt communionem Epiſcopi. Quã in ſententia Ruperti obſeruandum eſt, eum reſpicere ad morem pri-

mitiuæ Eccleſiæ, quo cùm Baptiſmus ab Epiſcopis ordinariè adminiſtraretur, ab iis etiam baptizati ſacro Chriſmate ſtatim à Baptiſmo in fronte conſignabantur; vt eo Sacramento pleniùs ſanctificati, digniùs ad percipiendam Euchariſtiam accederent, iuxta doctrinam Dionyſij Areopagitæ Eccleſ. Hierarch. c. 3. In libro de vnctione Chriſmatis, qui inter Cypriani opera recenſetur, *Huic diei aſſignata dicitur tanti operis cauſa, vt quo die in Sacramento calicis Chriſti Eccleſiæ vnitas, in lauacro pedum concors ſocietas, & donans inuicem charitas, & ſubiecta humilitas data eſt; in vnctione quoque Chriſtiani nominis, dignitas excellentiæ ſpiritalis propriè daretur, & confirmaretur filiis adoptionis perpes auctoritas, & dignitas perſeuerans.* Quartam rationem adiungimus, quia hac die Chriſtus id fieri inſtituit; ſic enim ſcribit Fabianus Papa, Epiſt. 2. c. 1. ſi quidem hæc illius eſt: *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperunt, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Et ſtatim ſubdit. *Sicut ipſius diei ſolennitas per ſingulos annos eſt celebranda, ita ipſius ſancti Chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum*

renouanda, & fidelibus tradenda. Et paucis interiectis: *Hæc ſancta Romana Eccleſia, & Antiochena, à temporibus Apoſtolorum cuſtodit: hæc Ieroſolymorum & Epheſinorum tenet; in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt, & vetus Chriſma incendi, & non ampliùs quàm vno anno vti permiſerunt.* Cuius rei argumento eſt, quòd conſecrationis Chriſmatis meminerunt S. Clemens Romanus, Epiſt. 3. & Conſtit. Apoſt. lib. 7. c. 43. & 45. Dionyſius Areopagita Eccleſ. hierarch. c. 6. Cyprianus Epiſt. 70. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagog. 2. & Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 27. Vt autem ſacrum Chriſma in conſpectu totius populi publicè conſecraretur, ſcribit Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 15. c. 28. id à Petro Cnapheo Epiſcopo Antiocheno primùm fuiſſe introductum.

In hac conſecratione præ cæteris obſeruatu digna eſt proceſſio illa, qua, Oleo infirmorum antè benedicto, ampullæ Olei chriſmalis & Olei catechumenorum, cum balſamo, à Secretario ſeu Sacriſtia ad Altare deferuntur, & ab Altari ad Secretarium reportantur; eſt enim eius ordo & forma planè ſingularis.

Anteit omnes Thuriferarius cùm thuribulo fumigante: ſequitur Subdiaconus cru-

cem ferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus: tum alij duo pueri cantantes Verſus præſcriptos, & poſt eos Pſaltæ cum Magiſtro Pſalletæ, alternis repetentes verſum intercalarem, *O Redemptor*: quos ſubſequitur Succentor, cum duobus Pſaltis in cappis hinc inde aſſiſtentibus, præintonans ſingulis vicibus dictum Verſum, *O Redemptor*. Succedunt Subdiaconi, & poſt hos Diaconi, induti dalmaticis, bini procedentes: deinde vnus Subdiaconus portans vaſculum cum balſamo: tum duo Diaconi ſimul, alter à dextris ampullam Olei ad ſanctum Chriſma, alter à ſiniſtris ampullam Olei Catechumenorum, ſiniſtro brachio circumdatam, geſtans, pendente ab humeris velo candido obuolutam. Extremi veniunt duodecim Sacerdotes, quos Cardinales vocant (in Ordine Romano, apud Honorium in Gemma, lib. 1. c. 4. & Durandum lib. 4. Rational. c. 6. dicuntur duodecim Priores) bini ſimiliter incedentes. Hoc ordine à Sacriſtia procedunt in nauim Eccleſiæ, ac circuitu facto per eam, vt ſit locus cantandis Verſibus ſupradictis, per medium Chorum accedunt ad Altare: vbi, reliquis ſuo ordine, vt in Pontificali habetur, circa Pontificem diſpoſitis, Diaconus dexter, facta Altari

& Pontifici reuerentia, ampullam Olei chriſmalis tradit Archidiacono, qui eam Pontifici oſtendens in menſa ante eum deponit; & mox vaſculum balſami de manu Subdiaconi accipiens, id ſimiliter Pontifici oſtenſum in eadem menſa collocat. Alter verò Diaconus ſtans expectat, donec peracta fuerit Chriſmatis conſecratio. Qua peracta, ampullam Olei Catechumenorum porrigit Archidiacono, qui eam, vt ſuprà, oſtenſam Pontifici, deponit in menſa. Oleo Catechumenorum benedicto, vtraque ampulla eodem ordine proceſſionis, quo antè venerat, reportatur in Sacriſtiam, pueris pergentibus cantare Verſum, *Vt nouetur*, & alios ſequentes: quibus Pſaltæ, vt ſuprà, intercinunt Verſum, *O Redemptor.*

Proceſſio hæc ritus eſt publicæ oblationis, qua Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ, nomine populi Chriſtiani, offerunt Pontifici Oleum ad benedictionem & conſecrationem, iuxta illud Exodi 27. *Præcipe filiis Iſraël, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum.* Sic enim interpretatur Amalarius, lib. 1. c. 12. & refert in Sacramentario ita ſcribi: *Antequam dicatur, Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, leuantur de ampullis quas offerunt populi, &*

benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes Epiſcopi. Quod idem habetur in Ordine Romano, vbi ſcribitur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis quas offerunt populi.* Et deinde ſubdit Amalarius: *Quando à populis offertur, ſimplex liquor eſt: per benedictionem Sacerdotum transfertur in Sacramentum,* id eſt, in myſticum vſum, & legitimam materiam Sacramenti. Quibus ex verbis conſtat, primis temporibus in more fuiſſe, vt Oleum eiuſmodi oblationis nomine à populo deferretur ad Altare in ampullis, de quibus ab Archidiacono ſumebatur quantum ſatis eſſet ad conſecrationem. Sic olim in ſancto Miſſæ ſacrificio fideles offerebant vinum, cantores aquam in calice miſcendam, vt eſt apud eumdem Amalarium, eodem lib. 1. c. 19. Quod ille hauſiſſe videtur ex libro Ordinis Romani, in quo ita ſcribitur: *Interim cantores cantant Offertorium cum Verſibus, & populus dat oblationes ſuas, id eſt, panem & vinum; & offerunt cum fanonibus* (id eſt, mappulis) *candidis, primò maſculi, deinde feminæ: nouiſſimè verò Sacerdotes & Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, & hoc ante Altare. Subdiaconus verò* (qui ab hoc munere eodem in libro vocatur *oblationarius*) *cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum; &, Pontifice oblationes po-*

nes ambulationis columnas myrteis, laureis, vel oleaginis ramis ornari, & iiſdem pauimentum ſterni: tempore autem matutini Officij ſupplicationem per eam viam hoc ordine inſtrui, vt ante omnes procedat Lampadarius manu lampadem ardentem geſtans, & modulata voce cantans hoc Idiomelon : *Egredimini gentes, egredimini populi, contemplamini hodie Regem cælorum; Chriſti enim figuram gerens Euangelium progreditur*. Sequitur Imperator diademate coronatus, & ſacco, id eſt, feſta veſte, indutus, dextera crucem præferens, ſiniſtra lampadem: deinde vniuerſus aulæ comitatus: tum Archidiaconus Euangelium geſtans; cui ſuccedit Patriarcha; poſt eum Sacerdotes quinque, vel plures, ſacras imagines portantes, &c. Quod ibi dicitur, Euangelium in proceſsione deferri ad Chriſtum repræſentandum; id quoque refert Alcuinus in lib. de diuin. offic. à pleriſque Eccleſiis vſurpari; vt Euangelium (*quod, inquit, intelligitur Chriſtus*) in geſtatorio decenter ornato portetur à Diaconis, cum exultatione ſubeuntibus iugum Chriſti ſuaue, & onus eius leue. Id verò apud nos ſuper pectus geſtatur à Diacono, ex quo apud crucem publicè legitur textus ſancti Matthæi de myſterio hodierno. In Ordine

Romano, & apud Alcuinum, quoties canitur Verſus, *Gloria, laus & honor tibi ſit rex Chriſte*, conuertuntur ad ſanctum Euangelium, quaſi Chriſtum adorantes. In Triodio autem Græcorum, in Officio huius Dominicæ, Præpoſito Eccleſiæ diſtribuente ramos benedictos, ſinguli oſculantur Euangelium.

Quod pertinet ad ritum claudendi fores Eccleſiæ, & eas cum ſtatis & ſolennibus verbis aperiendi, eum obſeruant Græci in die Paſchæ, vt eſt apud Codinum libro citato c. 14. & deſcribitur à nobis inferiùs, c.14.

De Proceſſione in die Cœnæ Domini, ad conſecrationem Chriſmatis, & Olei ſancti.

CAPVT X.

VNgendi ritu vtitur Eccleſia in quatuor Sacramentis, in Baptiſmo, Confirmatione, Ordinatione Sacerdotum, & Extrema vnctione; ac præterea in conſecratione Epiſcopi, Eccleſiæ & Altaris, Fon-

tis baptiſmalis, patenæ & calicis, & benedictione campanarum. Et harum quidem vnctionum omnium materia eſt oleum ex oliuis expreſſum: ſed in Chriſmate balſamum oleo admiſcetur, ex S. Gregorio, Expoſ. in Cantica c. 1. Innocentio tertio, c. vnico de ſacra vnctione, Concilio Bracarenſi 2. c. 4. Concilio Florentino in Decreto Eugenij quarti, & Concilio Lateranenſi ſub Leone decimo, Seſſione 11. vnde apud Gregorium Turonenſem lib. 1. de gloria Martyrum, c. 41. Chriſtianus, *qui frontem Chriſmatis inſcriptione ſignatam fert*, dicitur, *balſamo vnctus*. Chriſmatis ſolius vſus eſt in Sacramento Confirmationis, & conſecratione Epiſcopi, patenæ & calicis: Chriſmatis & Olei Catechumenorũ ſimul, in Baptiſmo, in conſecratione Fontis baptiſmalis, Eccleſiæ & Altaris; Olei Catechumenorum ſolius, in Ordinatione Sacerdotum: Olei infirmorum ſolius, in Sacramento Extremæ vnctionis: Olei infirmorum & Chriſmatis, in benedictione campanarum. Sed triplex iſtud genus Olei, vt idoneum ſit organum diuinæ miſericordiæ ad vngendum ſpiritualiter, & ſanctificandum ea quibus ritè adhibetur, id accipit ex Eccleſiaſtica benedictione, & ſolenni conſecratione quæ fit quotannis ab Epiſcopo

feria quinta in Cœna Domini, de Conſecrat. diſt. 3. c. *Literis.* c. *Te referente*, de celebrat. miſſ. Clementina vnica de reliq. & veneratione ſanct. Concilio Aquiſgranenſi ſecundo c. 8. in Pontificali Romano, & in Euchologio in Ordine ſacri vnguenti; etiam tempore Interdicti, c. *Quoniam.* de ſent. excom. in Sexto: nec alio die fieri debet, ex Concilio Meldenſi, c. 46. & fieri debet in Miſſa, & in Eccleſia Cathedrali, dicto c. *Te referente.*

Cur autem hac die eiuſmodi conſecratio celebretur, hanc cauſam produnt, Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 28. Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de cœna Domini, & Rabanus lib. 2. de Inſtit. cleric. c. 36: *Quia ante biduum Paſchæ Maria Magdalena caput ac pedes Domini vnguento perfudiſſe perhibetur.* Rupertus lib. 5. de diuin. offic. c. 17. aliam reddit rationem; vt nempe res ſignificata figuræ reſpondeat. Etenim, cùm hic dies quartum-decimum diem primi menſis referat, quo Exodi c. 12. agnus immolari ad veſperam iuſſus eſt, & de ſanguine eius vterque poſtis oſtij ſignari, & ſuperliminaria domorum, in quibus comedendus eſſet, vt, eo ſigno viſo, Angelus exterminator Ægypti ſacri conuiuij domos intactas præteriret: conſequens quidem erat, vt hac

ipſa nocte domus eorum in quibus Agnus comedendus eſt, id eſt, frontes eorum in quorum mentibus fides Agni Dei Chriſti reconditur, ſacro Chriſmate ſignarentur. Sed, quia interueniente die mortis Chriſti, quæ luctui & ſilentio dicata eſt, conuiuium illud Paſchale in tertium diem, qui eſt Reſurrectionis, differri oportuit; idcirco ipſa quidem ſignatio frontis ex Chriſmate in noctem Reſurrectionis, in qua Baptiſmus ſolenniter adminiſtratur, neceſſariò dilata fuit: ſed in feria quinta eiuſdem Chriſmatis conſecratio anticipatur, quia ipſa die Paraſceues, quæ ſola intermedia eſt, Miſſæ ſacrificium non celebratur, ſine quo Chriſma confici nefas eſt, ex Gloſſa in c. *Te referente.* & Hoſtienſi ibidem; quandoquidem ex præſcripto Sacramentarij S. Gregorij, Ordinis Romani, & Pontificalis, hic ritus intra Miſſæ Canonem perficiendus eſt; vnde Amalarius lib. 1. c. 12. eum vocat ἐμβολὴν, id eſt, *inſertionem* Officij conſecrationis corporis & ſanguinis Domini. Cuius rei ratio eſt, quia Chriſtus in vltima cœna Sacramentum Chriſmatis ſimul cum Euchariſtia inſtituit: vnde eiuſdem conſecratio fit immediatè poſt communionem Epiſcopi. Qua in ſententia Ruperti obſeruandum eſt, eum reſpicere ad morem pri-

mitiuæ Eccleſiæ, quo cùm Baptiſmus ab Epiſcopis ordinariè adminiſtraretur, ab iis etiam baptizati ſacro Chriſmate ſtatim à Baptiſmo in fronte conſignabantur; vt eo Sacramento pleniùs ſanctificati, digniùs ad percipiendam Euchariſtiam accederent, iuxta doctrinam Dionyſij Areopagitæ Eccleſ. Hierarch. c. 3. In libro de vnctione Chriſmatis, qui inter Cypriani opera recenſetur, *Huic diei aſſignata dicitur tanti operis cauſa, vt quo dit in Sacramento calicis Chriſti Eccleſiæ vnitas, in lauacro pedum concors ſocietas, & donans inuicem charitas, & ſubiecta humilitas data eſt; in vnctione quoque Chriſtiani nominis, dignitas excellentiæ ſpiritalis propriè daretur, & confirmaretur filius adoptionis perpes auctoritas, & dignitas perſeuerans.* Quartam rationem adiungimus, quia hac die Chriſtus id fieri inſtituit; ſic enim ſcribit Fabianus Papa; Epiſt. 2. c. 1. ſi quidem hæc illius eſt: *In illa die Dominus Ieſus, poſtquam cœnauit cum diſcipulis ſuis, & lauit eorum pedes, ſicut à ſanctis Apoſtolis prædeceſſores noſtri acceperant, nobiſque reliquerunt, Chriſma conficere docuit.* Et ſtatim ſubdit. *Sicut ipſius diei ſolennitas per ſingulos annos eſt celebranda, ita ipſius ſancti Chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum*

renouanda, & fidelibus tradenda. Et paucis interiectis: *Hæc ſancta Romana Eccleſia, & Antiochena, à temporibus Apoſtolorum cuſtodit: hæc Ieroſolymorum & Epheſinorum tenet; in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt, & vetus Chriſma incendi, & non amplius quàm vno anno vti permiſerunt.* Cuius rei argumento eſt, quòd conſecrationis Chriſmatis meminerunt S. Clemens Romanus, Epiſt. 3. & Conſtit. Apoſt. lib. 7. c. 43. & 45. Dionyſius Areopagita Eccleſ. hierarch. c. 6. Cyprianus Epiſt. 70. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagog. 2. & Baſilius lib. de Spiritu ſancto, c. 27. Vt autem ſacrum Chriſma in conſpectu totius populi publicè conſecraretur, ſcribit Nicephorus hiſtoriæ Eccleſ. lib. 15. c. 28. id à Petro Cnapheo Epiſcopo Antiocheno primùm fuiſſe introductum.

In hac conſecratione præ cæteris obſeruatu digna eſt proceſſio illa, qua, Oleo infirmorum antè benedicto, ampullæ Olei chriſmalis & Olei catechumenorum, cum balſamo, à Secretario ſeu Sacriſtia ad Altare deferuntur, & ab Altari ad Secretarium reportantur; eſt enim eius ordo & forma planè ſingularis.

Anteit omnes Thuriferarius cùm thuribulo fumigante: ſequitur Subdiaconus cru-

cem ferens, medius inter duos Acolythos cum cereis ardentibus: tum alij duo pueri cantantes Verſus præſcriptos, & poſt eos Pſaltæ cum Magiſtro Pſalletæ, alternis repetentes verſum intercalarem, *O Redemptor:* quos ſubſequitur Succentor, cum duobus Pſaltis in cappis hinc inde aſſiſtentibus, præintonans ſingulis vicibus dictum Verſum, *O Redemptor.* Succedunt Subdiaconi, & poſt hos Diaconi, induti dalmaticis, bini procedentes: deinde vnus Subdiaconus portans vaſculum cum balſamo: tum duo Diaconi ſimul, alter à dextris ampullam Olei ad ſanctum Chriſma, alter à ſiniſtris ampullam Olei Catechumenorum, ſiniſtro brachio circumdatam, geſtans, pendente ab humeris velo candido obuolutam. Extremi veniunt duodecim Sacerdotes, quos Cardinales vocant (in Ordine Romano, apud Honorium in Gemma, lib. 1. c. 4. & Durandum lib. 4. Rational, c. 6. dicuntur duodecim Priores) bini ſimiliter incedentes, Hoc ordine à Sacriſtia procedunt in nauim Eccleſiæ, ac circuitu facto per eam, vt ſit locus cantandis Verſibus ſupradictis, per medium Chorum accedunt ad Altare: vbi, reliquis ſuo ordine, vt in Pontificali habetur, circa Pontificem diſpoſitis, Diaconus dexter, facta Altari

& Pontifici reuerentia, ampullam Olei chriſmalis tradit Archidiacono, qui eam Pontifici oſtendens in menſa ante eum deponit; & mox vaſculum balſami de manu Subdiaconi accipiens, id ſimiliter Pontifici oſtenſum in eadem menſa collocat. Alter verò Diaconus ſtans expectat, donec peracta fuerit Chriſmatis conſecratio. Qua peracta, ampullam Olei Catechumenorum porrigit Archidiacono, qui eam, vt ſuprà, oſtenſam Pontifici, deponit in menſa. Oleo Catechumenorum benedicto, vtraque ampulla eodem ordine proceſſionis, quo antè venerat, reportatur in Sacriſtiam, pueris pergentibus cantare Verſum, *Vt nouetur*, & alios ſequentes: quibus Pſaltæ, vt ſuprà, intercinunt Verſum, *O Redemptor.*

Proceſſio hæc ritus eſt publicæ oblationis, qua Sacerdotes & miniſtri Eccleſiæ, nomine populi Chriſtiani, offerunt Pontifici Oleum ad benedictionem & conſecrationem, iuxta illud Exodi 27. *Præcipe filiis Iſraël, vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum.* Sic enim interpretatur Amalarius, lib. 1. c. 12. & refert in Sacramentario ita ſcribi: *Antequam dicatur, Per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, leuantur de ampullis quas offerunt populi, &*

benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes Epiſcopi. Quod idem habetur in Ordine Romano, vbi ſcribitur: *Tunc offeratur Pontifici oleum de ampullis quas offerunt populi.* Et deinde ſubdit Amalarius: *Quando à populis offertur, ſimplex liquor eſt: per benedictionem Sacerdotum transfertur in Sacramentum*, id eſt, in myſticum vſum, & legitimam materiam Sacramenti. Quibus ex verbis conſtat, primis temporibus in more fuiſſe, vt Oleum eiuſmodi oblationis nomine à populo deferretur ad Altare in ampullis, de quibus ab Archidiacono ſumebatur quantum ſatis eſſet ad conſecrationem. Sic olim in ſancto Miſſæ ſacrificio fideles offerebant vinum, cantores aquam in calice miſcendam, vt eſt apud eumdem Amalarium, eodem lib.1. c.19. Quod ille hauſiſſe videtur ex libro Ordinis Romani, in quo ita ſcribitur: *Interim cantores cantant Offertorium cum Verſibus, & populus dat oblationes ſuas, id eſt, panem & vinum; & offerunt cum fanonibus* (id eſt, mappulis) *candidis, primò maſculi, deinde feminæ: nouiſſimè verò Sacerdotes & Diaconi offerunt, ſed ſolum panem, & hoc ante Altare. Subdiaconus verò* (qui ab hoc munere eodem in libro vocatur *oblationarius*) *cum calice vacuo ſequitur Archidiaconum; & Pontifice oblationes po-*

pulorum ſuſcipiente, Archidiaconus ſuſcipit poſt eum amulas, & refundit in calicem maiorem, tenente eum Subdiacono. Et paucis interiectis ſubiungit: *Ornato verò Altari, Archidiaconus ſumit amulam Pontificis cum vino de Subdiacono, & refundit ſuper colum in calicem: deinde deſcendit Subdiaconus ſequens in ſcholam,* (id eſt, in Chorum) *& accipit fontem de manu Archiparaphoniſtæ, & defert Archidiacono, & ille ex amula infundit, faciens crucem, in calicem.* Et infeſrius: *Vt Pontifex, qui tunc cæleſtem panem accepturus eſt, à terreno pane, quem iam à laicis accepit, manus lauando expurget.* Ad quod genus oblationum ſpectat quod ſcribit Gregorius Turonenſis lib. 1. de gloria Martyrum, c. 38. *Ferunt etiam, quòd eo tempore, quo ad ſancta ſolennia incluſi ſunt* (Martyres) *vrceos argenteos ex metallo formatos, cum vino, quod ad oblationem ſacrificij diuini offertur, ſecum homines detuliſſent; argentúmque ibi remanſiſſe manifeſtum eſt.* Iam verò ea oblatio Olei ex vſu Eccleſiæ tranſiit in miniſterium Sacerdotum, Diaconorum & Subdiaconorum, qui vice populi eam Pontifici repræſentant.

Pertinet autem ad ſanctitatem myſterij quod celebratur, vt materia illius reuerenter & cum omni decore (vt loquitur Ordo

Romanus)

Romanus) portetur in huiuſmodi proceſſione. Sic apud Græcos non ſine pompa & apparatu defertur vnguentum ſacrum, quod vocant, ad conſecrationem. Primùm enim, quia in magna feria quintâ, vt loquuntur, propter ieiunium & tempus Quadrageſimæ celebratur Miſſa Præ-ſanctificatorum (de qua capite ſequenti) inſtituitur proceſſio ſanctiſſimi Sacramenti, eâ forma quæ deſcribitur à nobis infrà c. 25. Ante eam procedit is qui appellatur primus Sacerdos, vnguentum illud, (Græco more ex oleo quidem & balſamo, ſed admiſtis variis liquoribus & aromatibus, confectum) geſtans in alabaſtro, id eſt, vaſe vitreo minimè anſato, diſco ſeu patena operto; ſeptem paribus Diaconorum hinc inde cum flabellis muſcariis aſſectantibus, præeuntibus autem Domeſtico & Diaconis aliis cum lampadibus. Cùm autem ad fores Sanctuarij ventum fuerit, duobus Diaconis ex eo numero qui flabella gerunt ingreſſis, reliqui ex vtraque parte conſiſtunt, porrecto ordine ab ipſis foribus ad Altare. Sacerdote autem ante fores manente, Patriarcha aduenìens de eius manu accipit alabaſtrum, atque illud ad læuam Altaris collocat: ſtatímque, exceptâ proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti, Dia-

cono ex ambone ſignum dante benedicendi, alabaſtrum diſcooperit, atque illud ter impreſſione crucis ſignans, myſticas preces conſecrationis abſoluit: iiſque demùm peractis, ſanctum Chriſma tradit Protopapæ, qui illud in vas præparatum infundit: cæteri verò eo ordine, quo venerant, reuertuntur. Ita deſcribitur eius proceſſionis ritus in Euchologio, in Ordine ſacri vnguenti. Sic apud eoſdem Græcos materia ſacrificij Euchariſtici, nempe panis & vinum, ſolenni apparatu à Sacerdote & Diacono defertur in modum oblationis, à protheſi ſeu menſa propoſitionis ad ſacrum Altare, longo circuitu procedendo per Eccleſiam (licèt ipſa menſa, vnde profertur, ſit intra ſacrarium proxima Altari in quo ſacrificatur) Lectoribus, Diaconis, Sacerdotibus, cum lampadibus & ſacris vaſis, præeuntibus ac ſequentibus, & adhibito thuris ſuffitu, Choro interim canente proprium Hymnum, quæ proceſſio vocatur ab iis μεγάλη εἴσοδος, id eſt, *magnus Introitus*, vt videre eſt in Liturgia ſancti Ioannis Chryſoſtomi, apud Nicolaum Cabaſilam in Expoſitione Liturgiæ, c. 24. Simeonem Theſſalonicenſem in libro de diuino templo, c. de Miſſa fidelium, Ioannem Cantacuzenum lib. 1. Hiſtoriæ Andronici, c. 41.

Codinum de Official. aulæ Conſtantinop. c.17. & in Concilio Florentino, ſeſſione vltima in fine. Sic etiámnum in Eccleſiâ Andegauenſi, ex priſco ritu Romanæ Eccleſiæ (vt conſtat ex Ordine Romano ſuprà, Alcuino lib. de diuin. offic. c. *Quid ſignificent veſtimenta*, & Amalario lib. 1. c. 19.) Præcentor diebus ſolennioribus ad oblationem deferre ſolet cum apparatu amulam aquæ in calicem fundendæ, Offertorio ſeu velo ſerico ab humeris pendente inuolutam, præeunte Subdiacono, qui eam attulit è Secretario. Sic in Eccleſiis parochialibus panis eulogiarum in populum diſtribuendus, ſertis & floribus ornatus, ac lineo velo opertus, cum candela cerea ardente, offerri ſolet ad Altare. In Eccleſia Turonenſi cum inſigni quoque apparatu defertur ad Altare omnis ſupellex & vaſa ſacrificij; quem ritum vulgò appellant *Ordinem minorem*; imitatione Græcorum, qui maiorem & minorem εἴσοδον in Liturgiâ diſtinguunt. Facto initio procedendi à Secretario circa finem Euangelij, antecedunt pompam apparitores duo. Tum princeps Ordinis progreditur Theſaurarius cappa indutus, ſeu quiſquis è Dignitatum numero in Introitu Miſſæ præiuit maiori Ordini; de quo ſuprà c. 5. Sequitur vnus Ceroferarius;

inde Subdiaconus, vrceolos vini & aquæ, velo inducto, ferens: poſt hunc alius Ceroferarius, cuius veſtigiis inſiſtit Diaconus, peluim argenteam gerens velo ſimiliter opertam, cum patena ſuperpoſita. Huic, prælucente Ceroferario, ſuccedit Diaconus alter, cui pro geſtamine Calix ſacer, cum Corporali, velo inuolutus, duabus paciferis tabellis velo impoſitis. Agmen claudit quartus Ceroferarius. Hi omnes eadem via, qua in Ordine maiore, in nauim procedunt, & inde, traducto Choro, ad Altare pergunt, ibíque ſua quiſque vaſa ſeu geſtamina cum ſumma reuerentia offerunt. Tam ſplendidi & inſtructi apparatûs in his omnibus cauſa eſt, quia oblatio eſt actio ſacra & religioſa, quia res oblata ab hominum dominio & profano vſu ſecernitur, & Dei cultui tota dicatur; atque ideo cum decenti ordine & reuerentia fieri debet.

Eodem ſpectat quòd Chriſma ipſum, & Oleum ſanctum, poſtquàm conſecratum fuit, ab Epiſcopo & duodecim Sacerdotibus aſsiſtentibus ter cum honore ſalutatur, his verbis, *Aue ſanctum Chriſma, Aue ſanctum Oleum*: &, poſt ſalutationem, oſculum ampullæ ab iis libatur. Debetur enim reuerentia rebus ſacris ratione ſanctitatis: quia ex eo quòd ad cultum Dei deputa-

tæ ſunt, diuinum quiddam in ſe habere cenſentur: vnde honor qui iis defertur, ſuaptè natura redundat in Deum, vt docet S. Thomas 2. 2. q.99. art. 1. & 3. iuxta Definitionem Concilij Nicæni ſecundi in fine Actionis 7. quæ habet: *Sanctis Euangeliis, & reliquis eiuſmodi rebus ſacris ac Deo dicatis, thurificationum & luminum oblationem fieri, ad earum honorem, ſicut antiquorum pia fert conſuetudo.* Præcipuè verò dignum hac veneratione eſt ſanctum Chriſma, vtpote ſymbolum diuinæ vnctionis, & inſtrumentum diuinitùs inſtitutum ad communicandam fidelibus gratiam Chriſti; quà de re S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſis myſtagogicæ tertiæ initio: *Et vobis ſimiliter, poſtquàm è lauacro ſacrorum fluentorum aſcendiſtis, datum eſt Chriſma, ſimilitudinem gerens illius qui vnctus eſt Chriſtus, quod eſt Spiritus Sanctus, de quo beatus Iſaias, in ea quæ de ipſo eſt prophetia, ex perſona Domini dixit, Spiritus Domini ſuper me; eo quòd vnxerit me, euangelizare pauperibus miſit me. Oleo enim & vnguento corporali Chriſtus ab hominibus vnctus non eſt; ſed Pater, Saluatorem illum mundi conſtituens, vnxit eum Spiritu Sancto, quemadmodum Petrus inquit, Act.* 10. Et poſt pauca: *Vos verò vncti*

eſtis vnguento, facti participes & conſortes Chriſti. Sed vide, ne illud eſſe putes vnguentum nudum. Quemadmodum enim panis Euchariſtiæ, poſt ſancti Spiritus inuocationem, non amplius eſt panis ſimplex, ſed corpus Chriſti: ſic & ſanctum hoc vnguentum, non iam ſimplex eſt, &, vt ita dicam, commune, poſt inuocationem; ſed Chriſti gratia, & Spiritus ſancti quædam præſentia, quæ diuinitatis ipſius vim & efficientiam tribuit. Quòd verò Chriſma & Oleum Catechumenorum in ſecunda perſona ſalutetur, tamquam res animata, id fit honoris causâ, per quamdam proſopopœïam; vt cùm S. Andreas, crucem ſibi paratam aſpiciens, dicebat, *Salue crux pretioſa*: cùm Daniel. 3. tres pueri creaturis inanimatis, *Benedicite ſol & luna Domino, benedicite ignis & æſtus Domino*: & Dauid Pſal. 148. *Laudate eum ſol & luna, laudate eum omnes ſtellæ & lumen.* Communis enim vſus loquendi eſt, vt ex magnitudine affectus ſenſum affingamus iis rebus, ad quas volumus ſermonem dirigere. Et id genus alloquij, non ad materiam olei anima carentis refertur, ſed (vt fert natura adorationis relatiuæ) reſpectum habet ad Chriſtum, cuius vnctionis imago & ſimilitudo eſt, vt loquitur Cyrillus. Sic de veneratio-

ne Altaris S. Athanaſius, in Opuſculo contra eos qui dicunt, cognoſcere Chriſtum Dominum ſecundùm humanam naturam, eſſe ſpem ſuam in homine collocare: *Qui ad ſanctum Altare*, inquit, *accedunt, idque amplectuntur, & cùm timore ac lætitia ſalutant, non lapidi aut ligno ſimpliciter inhærent, ſed gratiæ, quam ſibi per lapidem aut lignum pij homines in mentem reuocant.*

Magnam partem huius pompæ faciunt Sacerdotes duodecim, ſeptem Diaconi, & totidem Subdiaconi; qui à latere Pontificis diſcedentes, quaſi à Chriſto ad id muneris delegati, veniunt in Sacriſtiam.

Et Sacerdotes quidem conſecranti Epiſcopo aſſiſtunt, tanquam teſtes & cooperatores ſacroſancti Chriſmalis myſterij, vt loquitur Ordo Romanus, repræſentantes Collegium Apoſtolorum, cum quibus cœnans Dominus extrema Sacramenta inſtituit. Qua de re ſic Amalarius citato c. 12. *Benedicit tam Dominus Papa, quàm omnes Presbyteri. Mos eſt Romanæ Eccleſiæ, vt in confectione immolationis Chriſti adſint Presbyteri, & ſimul cum Pontifice verbis & manibus conficiant. At, quia in ipſa periocha concluditur conſecratio Olei huius, oportet vt ſimili modo, ſicut & cæteræ,*

cum Pontifice Presbyteri Oleum conficiant. Similiter Ordo Romanus: *Exorcizet* (Pontifex) *& benedicat illud, tam ipſe quàm omnes Presbyteri qui adſunt.* Idcirco omnes halant in vtramque ampullam æquè ac Pontifex; ad exemplum Domini Ioan. 20. qui, vt Apoſtolis Spiritum Sanctum daret, in eos inſufflauit. Rupertus autem lib. 5. de diuin. offic. c. 18. eam rem ita explicat. *Duodecim Presbyteri, qui ordinantur iuxta Epiſcopum teſtes & adiutores eiuſdem myſterij, duodecim Apoſtolos ſignificant, quorum in præſentia Summus Pontifex Chriſtus hodie teſtamentum conſcripſit, totámque hæreditatem ſalutis, ſuæque diſceſſionis fructum, id eſt, Spiritum Paracletum, oſtendit, dicens: Niſi ego abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero, mittam eum ad vos. Eius namque gratiæ Sacramentum Chriſma continet.* Simili modo in ordinatione Sacerdotum, Presbyteri circumſtantes ſimul cum Epiſcopo manus ordinandis imponunt; & ipſi poſtmodùm qui ordinati ſunt, quaſi facti conſacerdotes, cum eodem Sacramentum Corporis & Sanguinis Chriſti conficiunt. Apud Græcos in conſecratione Olei infirmorum, quam illi vocant εὐχέλαιον, adhibentur tantùm ſeptem Sacerdotes. Conſenta-

neum ergo erat, vt qui ad hoc munus Apoſtolicum in conſecratione Chriſmatis obeundum à Pontifice delecti ſunt, iidem ad conquirendam & afferendam materiam conſecrationis delegarentur.

Obſeruandum verò hîc eſt nomen Cardinalium, quo inſigniuntur duodecim iſti Sacerdotes. Id enim argumento eſt, antiquiſſimam eſſe Eccleſiæ Andegauenſis conſuetudinem, & à primis Chriſtianitatis temporibus receptam, vt Rectores parochiarum ciuitatis Epiſcopo ſacra facienti, & Chriſmatis conſecrationem peragenti, adſint. Nam (vt pluribus explicat Onuphrius Panuinius in libro de Epiſcopatibus, titulis & Diaconiis Cardinalium, & libro de interpretatione vocum Eccleſiaſticarum,) cùm beatiſſimus Apoſtolorum princeps Petrus, ſacerdotio in Orientalibus Eccleſiis, præcipuéque Ieroſolymis & Antiochiæ, ritè inſtituto, Romam ad iacienda Eccleſiæ vniuerſalis fundamenta veniſſet, è numero fidelium viros quoſdam ſeniores, ſpectatæ fidei & probitatis, plenóſque Spiritu ſancto, delegit, eóſque partim Presbyteros, partim Diaconos, manus impoſitione conſecrauit, quorum opera ipſe & Romanus Pontifex, in inſtruenda naſcente Eccleſia vteretur: di-

uiſíſque inter eos ſacris muneribus, animarum curandarum negotium Presbyteris commiſit, vt Sacramenta Eccleſiaſtica plebi Dei adminiſtrantes, orationi & miniſtrationi verbi vacarent: Diaconis autem viduarum, pupillorum, & reliquorum pauperum alendorum ac ſubleuandorum curam demandauit: eíſque iniunxit, vt Presbyteris ſacra facientibus præſto eſſent. Ne autem Presbyterorum adminiſtratio in promiſcuo eſſet, Euariſtus (qui quintus à beato Petro Romanæ ſedis Pontifex fuit) parœcias, ſiue Eccleſias aut titulos, per varias vrbis regiones diſtinxit, ſingulíſque ſingulos Presbyteros attribuit, qui intra fines ſibi deſcriptos paſtorum munere fungerentur, & fidelibus Sacramenta verbúmque Dei miniſtrarent. Sed, augeſcente in dies numero Chriſtianorum, cùm vnus Presbyterei muneri per ſingulos titulos non ſufficeret, Hyginus Papa (qui quartus poſt Euariſtum ſedit) plures Presbyteros illis aliis in ſubſidium adiunxit, provt neceſſarium cuique viſum eſt: qui vt aliqua diſcriminis nota ſecernerentur, princeps ille Presbyter, qui aliis præerat, *Presbyter Cardinalis*, id eſt, *primarius*, appellatus fuit, quo nempe velut cardine vniuerſa adminiſtratio Eccle-

ſiæ vertebatur, ſicut apud Seruium 1. Æneid. cardinales venti appellantur quatuor principales. Hunc Romanæ Eccleſiæ ordinem ſequuti ſunt Epiſcopi, qui per vniuerſum orbem ad prædicandum Euangelium dimiſſi ſunt: & ſinguli in ſuis ciuitatibus Presbyteros pro numero parœciarum conſtituerunt, qui in ſubſidium vicis ſuæ populos ad fidem accedentes baptizarent, eóſque verbo & doctrina ſalutari paſcerent, atque ipſis Epiſcopis ſacra facientibus aſſiſterent: qui quidem Romano more *Presbyteri Cardinales* ſunt appellati. Perſeuerat igitur in hunc vſque diem, cum ſacerdotali miniſterio, nomen Cardinalium in Eccleſia Andegauenſi, pro Rectoribus parochialibus ciuitatis, qui per ſingulos titulos parochiarum ad regimen animarum conſtituti, quaſi organica membra Pontificatus, Epiſcopi latus cingunt in publicis & ſolennibus myſteriis celebrandis, quaſi Apoſtoli Chriſto miniſtrantes: quod in aliis quoque nonnullis celebrioribus Eccleſiis Galliarum etiamnum ſimiliter obſeruatur, cum ipſo nomine Cardinalium. Vnde patet, quàm malè de ſeipſis, & de Eccleſiæ diſciplina atque ordine ſentiant, qui hoc Apoſtolicum munus obire apud Epiſcopum in celebriori-

bus ſolennitatibus detrectant, prærogatiuam dignitatis ſuæ ignominiæ loco ducentes.

Quia verò Diaconi & Subdiaconi ex inſtitutione ſua ſunt miniſtri ſacerdotalis officij (vnde Iſidorus de Diaconis loquens lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 8. *Sine ipſis Sacerdos nomen habet, officium non habet*) idcirco illi Sacerdotibus in hac proceſsione adiunguntur, eumdémque ordinem procedendi ex ſymbolo geminæ charitatis obſeruant. Septenarij autem numeri ratio ex prima Diaconorum creatione ſumpta eſt: ſeptem enim primùm electi ſunt ab Apoſtolis Act. c. 6. *Ex hinc* (inquit Iſidorus loco citato) *iam decreuerunt Apoſtoli, vel ſucceſſores Apoſtolorum, vt per omnes Eccleſias ſeptem Diaconi, qui ſublimiore gradu eſſent cæteris, circa aram Chriſti, quaſi columnæ Altaris, aſsiſterent, & non ſine aliquo ſeptenarij numeri myſterio.* Et idem habetur diſt. 93. c. *Diaconi, qui.* & ſeq. & apud Stephanum Eduenſem, libro de Sacramento Altaris, c. 7. Quo loco Iſidori, per *omnes Eccleſias*, intelligendæ ſunt maiores Eccleſiæ, in quibus Epiſcopi ſedem habent. Et ita explicat Iuo Carnotenſis ſerm. 2. qui Iſidori verbis in eâdem re vtens, vbi ille dicit, *per omnes Eccle-*

ſuis, ſcribit ipſe, *in omni matrice Eccleſiâ.* Cui explicationi conformis eſt Gloſſa in dictum Canonem, *Diaconi, qui.* Et ita eſſe intelligendum Eccleſiæ vſus & ratio docet, & clarum eſt ex Canone 6. Concilij Romani ſecundi, in quo Silueſter Papa conſtituit, vt, cùm ſeptem vrbis Diaconi eſſent, in parochiis tamen duo tantùm ordinarentur; nempè vt ſua Pontificali ſedi prærogatiua ſeruaretur. Quot autem in miniſterio Eccleſiaſtico Diaconi adhibentur, totidem ex æquo Subdiaconi eſſe debent, qui ſuo ordine deſeruiant, vt rectè obſeruauit Honorius in Gemma animæ lib. 1. c. 9. quippe cùm eorum functiones ſubordinatæ ſint, & inuicem connexæ. Hîc igitur, ſicut duodecim Sacerdotes, ita ſeptem Diaconi, & ſeptem Subdiaconi, ab Altari ad proceſſionem offerendi Chriſmatis aduocantur; vt ea omni ex parte ſolennis ſit, & *plenaria*, vt loquitur Ordo Romanus in Officio huius diei. Iidem verò in conſecratione ipſa Chriſmatis adhibentur, tamquam miniſtri & inſpectores, vt eſt in Pontificali.

Sed, quòd Epiſcopus ſacris operans numeroſo comitatu Sacerdotum & alio-

rum miniſtrorum Eccleſiaſticorum ſtipatus eſſe debeat; id ab initio decreuit Anacletus in Canone, *Epiſcopus*, qui habetur de conſecr. diſt. I. *Epiſcopus*, inquit, *Deo ſacrificans teſtes ſecum habeat, & plures quàm alius Sacerdos. Sicut enim maioris honoris gradu fruitur, ſic maioris teſtimonij incremento indiget. In ſolennioribus quippe diebus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres Diaconos, qui oculi eius dicuntur, & Subdiaconos, atque reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimentis, à fronte; & à tergo, & Presbyteri è regione dextra læuáque, contrito corde, & humiliato ſpiritu, ac prono ſtent vultu, cuſtodientes eum à maleuolis hominibus, & conſenſum eius præbeant ſacrificio.* Vbi variatio numeri; *ſeptem*, aut *quinque*, aut *tres*, accipienda eſt pro modo facultatum cuiuſque Eccleſiæ, vt rectè interpretatur Gloſſa loco ſuperiùs citato: quia pleriſque non ſuppetit facultas alendi ſeptem Diaconos; & ſeptem Subdiaconos. Idem ſcribit Damaſus de Zephyrino in eius vita: *Et fecit*, inquit, *conſtitutum in Eccleſia, vt patenas vitreas miniſtri ante Sacerdotes portarent, dum Epiſcopus Miſſam celebraret, & vt Sacerdotes omnes adſtarent, dum ſic Miſſa*

Google

celebrarentur. Quin Lucius apud eumdem Damaſum in eius vita, & c. *Iubemus.* de conſecr. diſt. 1. *Præcepit, vt duo Presbyteri, & tres Diacones, in omni loco Epiſcopum non delererent, propter teſtimonium Eccleſiaſticum* : & Euariſtus *ſeptem Diaconos ordinauit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem, propter ſtylum veritatis,* vt ſcribit idem Damaſus in eius vita: & hos quidem *Diaconos teſtimoniales* appellatos ſcribit Onuphrius Panuinius in libello de interpretatione vocum Eccleſiaſticarum. Retulimus ſuperiùs ſententiam Simeonis Theſſalonicenſis, qui ait, chorum Sacerdotum & Diaconorum celebranti Epiſcopo aſsiſtentium, Apoſtolos Domini præſentes, eúmque intuentes, ſanctiſsimóſque Angelos ſignificare.

Sunt etiam in parte huius proceſsionis Pſaltæ & pueri ſymphoniaci, aliíque cantores, qui hymnum Chriſto canentes, ei oblationem commendant, vice Leuitarum & cantorum, qui 2. Paralip. c. 29. & Eccleſiaſtici c. 50. *Cùm offerrentur holocauſta, omni turba adorante, erant in officio ſuo, canentes laudes Domino, donec compleretur oblatio.*

Cæterùm profertur Oleum è Secreta-

rio ſeu Sacriſtia, iuxta antiquum morem Eccleſiæ; quo, vt obſeruauit Baronius, oblationes fidelium in Secretario primùm deponebantur, vt vbi inſpicerentur & examinarentur, an admittendæ & ad Altare deferendæ, an repudiandæ eſſent. Vnde apud S. Clementem Apoſt. Conſtitut. lib. 4. c. 5: *Oportet vt ſciat Epiſcopus, à quibus accipere oblationes debeat, & à quibus accipere non debeat.* Neque enim hæreticorum oblationes accipi fas erat, 1. q. 1. c. *Sic populus*, & ſeqq. neque eorum qui odiis inter ſe diſsiderent; iuxta præceptum Domini, Matth. 5. aut qui pauperes opprimerent, c. *Oblationes*, diſt. 90. neque eorum qui de alieno raperent, 14. q. 4. c. *Immolans*, & apud Gregorium Turonenſem lib. de gloria Confeſſ. c. 79. neque qui immunitatem Eccleſiæ violarent, 17. q. 4. c. *Miror.* vbi S. Auguſtinus oblationem domus eius, qui quemdam de Eccleſia per vim abſtraxerat, ſuſcipi à clericis vetuit, donec pœnitentiam ſibi definitam peregiſſet: neque qui Gentilium ſuperſtitioni participaſſent, vt apud S. Ambroſium Epiſt. 30. qui Valentiniano Imperatori ſcribens dicebat: *Licebit tibi ad Eccleſiam conuenire: ſed illic non inuenies Sacerdotem,*

aut inuenies reſiſtentem. Quid reſpondebis Sacerdoti dicenti tibi, Munera tua non quærit Eccleſia, quia templa Gentilium muneribus adornaſti? Ara Chriſti dona tua reſpuit, quoniam aram ſimulacris feciſti. Et apud eumdem Epiſt. 15. vbi munera Eugenij Imperatoris ait repudianda à Sacerdotibus, quia ille pecuniam dederat in ſumptus ſacrificiorum ad aram Victoriæ: quod etiam recenſet Paulinus in vita Ambroſij. Præterea neque ex omni genere rerum offerre licebat ad Altare; ex Canone 3. & 4. Apoſtolorum: idcirco rerum offerendarum delectum haberi oportebat. Hinc apud Græcos id obſeruatur, vt oblatio panis in Miſſa conſecrandi fiat in Secretario, priuſquàm in menſam propoſitionis inferatur, vt tradit S. Germanus Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum.

Cæteræ circumſtantiæ huius proceſſionis communem rationem habent cum aliis proceſſionibus.

De Proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti, quæ fieri ſolet in die Cœnæ Domini, & die ſancto Paraſceues.

CAPVT XI.

ANtiqui moris eſt in Eccleſia Græca, toto tempore Quadrageſimæ ſanctum Miſſæ ſacrificium non celebrare, præter quàm diebus Sabbati & Dominicis, & in Feſto Annuntiationis beatæ Mariæ, quibus non ieiunatur, vt conſtat ex Canone 52. Concilij in Trullo, & 49. Laodiceni: aliis enim diebus celebrant tantùm id quod appellant λειτουργίαν τῶν προηγιασμένων, *Miſſam Præ-ſanctificatorum*, cuius Ordo & Officium habetur in Euchologio cum aliis Liturgiis; id eſt, offerunt ad Altare cum myſticis precibus panem antè conſecratum, ſine ſanguine, & de eo communicant more ſolito. Rationem huius inſtituti reddunt Theodorus Balſamon & Ioannes Zonaras, in ſuis Commentariis ad dictum Canonem Trullanum: quòd ieiunio-

rum dies ſint dies luctus & compunctionis; Deo autem ſacrificium offerre, ſit feſtum agere, quod eſt hilaritatis & lætitiæ. Cùm itaque non conueniant inter ſe pœnitentiæ lamenta & feſtiuæ celebritatis hilaritas, exiſtimarunt quoque ſanctum Miſſæ ſacrificium ieiuniis Quadrageſimalibus non conuenire. *Præ-ſanctificatorum enim miniſterium* (ait ibidem Balſamon) *incruentum ſacrificium non dicimus, ſed oblationem prius oblati & perfecti ſacrificij, & ſacræ actionis iam peractæ* (quia nempe ratio ſacrificij Miſſæ conſiſtit in conſecratione, & in conſecratione vtriuſque ſpeciei) vnde panem illum antè conſecratum, qui ad huiuſmodi Liturgiam reſeruatur, Græci in Miſſa Præ-ſanctificatorum ἅγια λείψανα; id eſt, *ſanctas reliquias*, vocant. Ob eamdem etiam cauſam illi neque Sanctorum memorias, neque nuptias, aut natalitia celebrant in diebus ieiuniorum; vt patet ex Canonibus 51. & 52. eiuſdem Concilij Laodiceni.

Eadem ratione ducta ſancta Romana Eccleſia hunc ritum Miſſæ Præ-ſanctificatorum obſeruat in die ſancto Paraſceues, ſacrificio & conſecratione prorſus abſtinens, vt etiam traditur in Concilio Toletano 16. c. 8. quia ille eſt dies luctus publici,

& complorationis omnium Chriſtianorum de morte patris ſui, Regis ſui, Paſtoris ſui, Saluatoris ſui. Ideo, ſicut ſilent ſigna ſeu æra campana, quæ ſunt tubæ feſtiuitatis, diuina Officia languenti voce, & lugubri tenore, aut ſub mœſto ſilentio dicuntur, ceſſant cæremoniæ ſplendoris & celebritatis: ita occiſo Pontifice ceſſat ſacrificium, quod eſt caput & decor omnis gloriæ filiæ Regis, ſponſæ Dei. Id docet Innocentius primus c. *Sabbato*. de conſecratione, diſt. 3 his verbis: *Nam vtique conſtat, Apoſtolos biduo iſto* (id eſt, feria ſexta & Sabbato mortis ac ſepulturæ Chriſti) *& in mærore fuiſſe, & propter metum Iudæorum ſe occuluiſſe: Quod vtique non dubium eſt eos ieiunaſſe biduo memorato; vt traditio Eccleſiæ habeat, iſto biduo Sacramenta penitus non celebrari.* Quibus in verbis duo attendenda ſunt: alterum, Innocentij tempore (qui Pontifex creatus fuit anno Chriſti 402.) antiquam traditionem Eccleſiæ fuiſſe, vt feria ſexta in Paraſceue ſacrificium non fieret, quod indicio eſt id ex Apoſtolica inſtitutione fluxiſſe: alterum, neque in Sabbato ſancto fieri ſolitum ſacrificium, quod quidem etiam nunc verum eſt; quia Miſſa quæ eo die celebratur, non pertinet ad ipſum Sabbatum, ſed ad Officium noctis Reſurrectionis Domini, vt patet ex to-

to contextu eiuſdem Officij, & his verbis Ordinis Romani in Officio diei Paraſceues: *Feria ſexta Paraſceues, quæ & ſexta Sabbati dicitur, Miſſa non cantatur; ſed neque in Sabbato ſancto vſque ad vigilias noctis.* Cui ſuffragatur Durandus lib. 6. Rationalis, c. 77. *Miſſa enim* (inquit) *quæ in ipſo Sabbato celebratur, non ad ipſum Sabbatum, ſed ad diem pertinet ſubſequentem.* & capite ſequenti: *Hæc autem dies, ſicut præcedens, nullum habet Officium diurnum, in quo conſtat Apoſtolos fugiſſe, & in mœrore fuiſſe,* de conſecrat. diſt. 3. c. *Sabbato. Nam officium quod cantatur, eſt noctis diei Dominicæ.* Et poſt pauca profert in teſtimonium hæc verba S. Hieronymi. *Reor traditionem Apoſtolicam permanſiſſe, vt in die vigiliarum Paſchæ, ante noctis medium, dimittere non liceat populos expectantes Chriſti aduentum: vt reſurgenti Saluatori occurrant, poſtquam tempus illud tranſierit, ſecuritate præſumpta, feſtum cunctos agere diem.* Et addit Durandus: *Sed, quia quod pro deuotione fuerat inſtitutum, in minus honeſtas actiones, quibus nox facultatem præbet, conuerſum eſt, inſtitutum fuit, vt Officium ipſius noctis de die celebraretur.* Quod non ſatis attenderunt, qui dixerunt, Canonem, *Sabbato,* contraria conſuetudine abrogatum eſſe quoad publicum & ſolenne Officium; vt inde ſuo modo infer-

rent, licere Miſſam priuatam celebrare in Sabbato ſancto, quod eſt planè contra mentem & inſtitutionem Eccleſiæ. Nam, cùm primitùs ex traditione Apoſtolica Miſſa, iuxta exigentiam myſterij, celebraretur in nocte Paſchæ; ſublatis nocturnis conuentibus Chriſtianorum propter ſcandala quæ ex tenebrarum licentia oriebantur, eius Officium reiectum eſt in tempus proximè antecedens, ſcilicet in Sabbatum, vt obſeruatum eſt à Durando loco citato. Sed quod neceſſitate factum eſt, vt daretur locus Officio myſterij Paſchalis, malè trahitur ad celebrationem Miſſarum priuatarum, in quibus ſine vlla neceſſitate violatur ſancta Eccleſiæ inſtitutio, & pro libitu priuatorum alieniſſima quæque Officia intruduntur in diem quem ſancti Patres vacare voluerunt, & in eo *Sacramenta penitùs non celebrari: penitùs*, ait S. Innocentius; ergo neque priuatim.

Innocentium ſequuti ſunt, Amalarius lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 13. Rabanus lib. 2. de Inſtit. cleric. c. 37. Rupertus lib. 6. c. 22. Durandus Rational. lib. 6. c. 77. & Hugo de S. Victore, Eruditionis Theologicæ lib. 3. c. 20. & Miſcellaneorum lib. 5. c. 43. cuius verba digna ſunt quæ legantur. *Hac ergo triſti die,* inquit, *contriſtemur ad pœnitentiam; ferrum*

lanceæ dominicæ pertranſeat animam noſtram; claui manuum & pedum carnem noſtram trãsfigant; crux noſtram ſuſpendat concupiſcentiam; compatiamur vt conregnemus: hodie non ſacrificemus, dum nobis hoſtia de manibus tollitur: non ſacrificent amici, dum trucidant inimici: differatur vſque in diem illum, quo tantus victor reſurgens ſuam nobis victoriam nuntiabit: profundum interim teneamus ſilentium, mœrori amicum: quæ eadem verba leguntur apud Rupertum, lib.6. de diuin. offic. c.3. De ieiunio verò in feria ſexta & Sabbato ante Paſcha, & eius cauſa, ſic ipſi Apoſtoli loquuntur apud S. Clementem lib.5. Conſtit. Apoſt. c. 17. & 18. *Abſtinete his diebus vino & carne: dies quippe luctus, & non feſti, ſunt. Sexta tamen feria & Sabbato ex toto manete ieiuni:* Et ſtatim: *Ait enim Dominus de ſe, Quando ablatus fuerit eis ſponſus, tum ieiunabunt in diebus illis. His itaque diebus ablatus fuit nobis Dominus à Iudæis, quos ſic falsò vocant, & in crucem actus, & cum maleficis deputatus. Quamobrem monemus vos, vt his diebus ieiuni maneatis vſque ad veſperam, ſicut & nos ieiuni manſimus, cùm ablatus fuit nobis.* Similiter Petrus Damiani Ep.35. lib.6.

Sanctus Thomas 3. parte Summæ Theologicæ, quæſt.83. art.2. aliam huius ſacræ obſeruationis cauſam affert, ita ſcribens. *Dicen-*

dum, quòd veniente veritate ceſſat figura. Hoc autem Sacramentum eſt figura quædam, & exemplum Dominicæ paſſionis. Et ideo in die, quo ipſa paſſio Domini recolitur provt realiter geſta eſt, non celebratur conſecratio huius Sacramenti. Ne tamen Eccleſia ea etiam die ſit ſine fructu paſſionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Chriſti, conſecratum in die præcedenti, reſeruatur ſumendum in illo die: non autem ſanguis, propter periculum, & quia ſanguis ſpecialiùs eſt imago Dominicæ paſſionis; quippe qui effuſus, & ſeparatus à corpore, clariùs nobis exhibeat vulnera Chriſti manantia, & mortem inde ſequutam. Et ſententia igitur S. Thomæ, & eius ratio, pugnat cum celebrãtibus priuatim ſacrificium Miſſæ in Sabbato ſancto.

Cùm itaque ratione myſterij non liceat in die Veneris ſancta ſacrificium incruentum peragere: vt ſit, de quo Sacerdos ea die in publico Eccleſiæ conuentu oblationem facere poſſit ad Altare, pro dirigendis ad Deum orationibus, quæ pro vniuerſo populo Chriſtiano fiunt, & iuxta ſolennem ſacrorum ritum communicare, ad demonſtrandum fructum ſalutis & gratiæ quem ex ſacrificio crucis percepimus, ex ſententia Sancti Thomæ; conſueuit Eccleſia ex pridiano ſacrificio hoſtiam conſecratam reſer-

uare, quæ poſt Miſſam Cœnæ Domini proceſsionaliter honoris cauſa defertur ad locum deſtinatum, Clero per ordinem ſequente cum hymnis & canticis, & in tabernaculo decenter ornato componitur, quaſi corpus Chriſti in ſepulcro conditum: Ipſa autem die Paraſceues, adorata cruce, duo Sacerdotes, induti alba, ſtola & manipulo, præeunte Subdiacono cum cruce, & duobus Acolythis cum cereis accenſis, atque aliis duobus miniſtris intortitia ſimiliter accenſa ferentibus, procedunt ad locum vbi poſitum eſt Sacramentum; &, facta thurificatione, cæteríſque ritibus ex ordine ſeruatis, illud cum reuerentia ad Altare afferunt, duobus Acolythis continuè incenſantibus, cantantes per viam, *Hoc corpus quod pro vobis tradetur*, &c. & Celebranti in manum tradunt; qui, eo in Altari oblato, & ritè incenſato, Miſſam Præ-ſanctificatorum peragit, ac demùm illud in communione ſumit.

Similis proceſsio celebratur à Græcis in omnibus Miſsis Præ-ſanctificatorum, cuius deſcriptio habetur infrà c.25.

De ſanguine autem Chriſti, cur in hunc diem non reſeruetur, aut ſeparatim in propria ſpecie ſumatur, præter rationes S.Thomæ, aliam quamdam addit Hugo à S. Victo-

re, lib. 3. Eruditionis Theologicæ c. 20. ita ſcribens: *Quæritur iterum, quare hac die non ſumatur ſanguis Chriſti, ſicut & caro Chriſti. Ad quod dico, quòd vtrumque ſub vtraque ſpecie ſumitur: ſed, quia ſpecies vini labilis non poteſt tutò reſeruari, ſine ea corpus Chriſti reſeruari conſtitutum eſt: vel quia Dominus in Cœna dixit, Non bibam amodò de hoc genimine vitis vſque in diem illum, cùm illud bibam nouum vobiſcum in regno meo; Eccleſia à die Cœnæ vſque ad diem Paſchæ (quæ in veſpere incipit, vnde in Cerei benedictione dicitur, Hæc nox eſt, quæ peccatorum, &c.) de hoc genimine vitis bibere non conſueuit. Porrò de ſanguine ſuo, quem Diſcipulis porrigebat, loquebatur Chriſtus, quem, quantùm ad ſpeciem, genimen appellabat: hoc poſt reſurrectionem in regno ſuo, id eſt, in regia claritate, bibit ipſe cum Diſcipulis ſuis; quia in reſurrectione totus Chriſtus, quantùm ad corporalem ſubſtantiam, innouatus eſt.* Græci ſimiliter in Præ-ſanctificatis ſuis ſola ſpecie panis vtuntur, licèt extra diem Dominicæ Paſsionis celebrent.

In Eccleſia Romana Celebrans ipſe ſanctiſsimum Sacramentum à tabernaculo affert ad Altare, ſicut pridie illud intulit in tabernaculum: ſed antiquitùs id fiebat à duobus Presbyteris eo modo quo apud nos fit, vt videre eſt apud S. Gregorium in Sa-

cramentario, in Ordine Romano in Officio huius diei, apud Alcuinum lib. de diuin. offic. in Officio Paraſceues, & Amalarium lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 15. Vnde Rupertus lib. 6. de diuin. offic. c. 23. dicit, *Duos Presbyteros, qui corpus Domini ad Altare deferunt, ſignificare Ioſeph iuſtum ab Arimathia, & Nicodemum, qui petitum & conceſſum ſibi à Pilato corpus Ieſu detulerunt ad ſepeliendum.*

De Proceſſione ad lauanda Altaria.

CAPVT XII.

POteſt & inter proceſſiones iure numerari antiquus ille vſus obeundi Altaria, & lauandi vino & aqua, cuius meminerunt Iſidorus lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 28. Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de Cœna Domini, Rupertus lib. 5. de diuin. offic. c. 31. & Durandus Rational. lib. *6*. c. *76*. Habet enim & progreſſionem religioſam per Eccleſiam, & ritum myſticum, & ſolennes preces, ſicut aliæ.

Pertinet autem eiuſmodi proceſſio ad myſterium paſſionis Domini: vnde Du-

randus loco citato refert, quibuſdam locis in vſu eſſe, vt Altaria denudentur hac die ſub noctem; poſtridie autem, id eſt, in Paraſceue, lauentur. Et ob eamdem cauſam ait, inter lauandum cani ſolere Antiphonas ſeu Reſponſoria ſpectantia ad paſſionem. Et ratio myſterij hoc confirmat.

Rupertus enim libro citato c. 30. denudationem ita explicat. *Cur Altare nudetur, ſcire volentibus facilè liquet, ſi priùs animaduerterint quid ipſum Altare ſignificet. Significat autem Chriſtum: quia ſic illud in templo, quomodo Chriſtus toti corpori Eccleſiæ, dignitate & honore præminet.* Et ſtatim: *Cùm itaque nudum Altare conſpicimus, dignum illud memoria, quod magnificè Propheta flebiliterque deplorat, noſtris intimis perſonare auribus, noſtris internis præſentialiter debet apparere conſpectibus: Ecce vidimus eum, & non eſt ſpecies ei, neque decor, & nos conſiderauimus eum deſpectum & nouiſſimum virorum:* Et paucis interiectis: *Ille enim ſpecioſus forma præ filiis hominum, qui ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, maximè in paſſione ſua viſus eſt non habens ſpeciem neque decòrem, & quaſi abſconditus vultus eius.* Alcuinus loco citato aliter explicat. *Nudantur,* inquit, *Altaria iam circa noctem, & ſic permanent vſque ad Sabbatum ſanctum. Altare Chriſtum ſignificat,*

Digitized by Google

qui tunc nudatus eſt à veſtimentis, hoc eſt, à Diſcipulis, quando relicto eo omnes fugerunt. Et in eadem ſententia eſt Amalarius lib. 1. c. 12. Vbi notandum eſt, iuxta obſeruationem Durandi, Altaria ſua ſindone ſpoliari ſub noctem: quod ſimiliter præſcribitur in Sacramentario S. Gregorij.

Ablutionem autem Altarium ſic interpretatur idem Rupertus citato capite 31. *Idcirco illa lauari inſtitutum eſt, quia Dominus noſter, quem Altare ſignificat, vt dictum eſt, de latere ſuo lancea militis perforato ſanguinem & aquam effudit. Ideo lauantur vino & aqua. Vinum pro ſanguine in Sacramento quoque ſacrificij, ipſo Domino auctore, aſcitum eſt. Sanguinem, inquam, & aquam effudit de latere ſuo ſummus noſtræ opifex ſalutis, quæ prima ſunt eiuſdem elementa ſalutis: ſanguine redimimur, aqua abluimur.* Et ratione illius myſterij in hac proceſſione cantatur Antiphona, *Dum fabricator mundi*, ſumpta ex Antiphonario S. Gregorij; & Ordine Romano, cuius extrema hæc verba ſunt: *Aperto ergo lancea militis latere crucifixi Domini, exiuit ſanguis & aqua in redemptionem ſalutis noſtræ.* Quare parùm congruenter factum videtur ab iis, qui in hunc ritum intruſerunt Antiphonam, *Mandatum nouum do vobis*, quæ pertinet ad ablutionem pedum, non

autem ad ablutionem Altarium.

Quòd verò Altare Chriſtum ſignificet; id conſentaneum eſt doctrinæ S. Pauli, qui Hebr. c. 13. de corpore Chriſti loquens, ait: *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem qui tabernaculo deſeruiunt.* Sic S. Ambroſius Enarrat. in Pſal. 118. Octonario 3. *Mirabile illud Altare, in quo vnius Agni ſacrificium tulit peccata mundi.* Eius rei hanc rationem affert Amalarius citato libro, c. 13. *Quia in eo noſtras oblationes Patri offerimus: in eo*, id eſt, in fide eius, in nomine eius, in fiducia meritorum eius, quorum virtute acceptantur preces & ſacrificia noſtra à Deo: Vnde dicit Honorius in Gemma animæ lib. 1. c. 134. *Altare, ſuper quod ſacrificatur, eſt Chriſtus, ſuper quem ſacrificium Eccleſiæ acceptatur.* Ideo Sacerdos, incipiens Canonem Miſſæ, manibus iunctis ſuper Altari, dicit: *Te igitur, clementiſſime pater, per Ieſum Chriſtum filium tuum Dominum noſtrum ſupplices rogamus ac petimus, vti accepta habeas & benedicas hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia;* atque hæc dicens oſculatur Altare, Chriſtum videlicet hoc ſymbolo adorans: & in toto ordine Miſſæ, quoties idem Sacerdos ad populum conuertitur, vt eum ſalutet, ei benè precetur, aut benedictionem impertiat, priùs oſculatur Altare, quaſi à

Chriſto pacem accipiens, quam cum populo communicet. Hinc eſt etiam quòd Altare debet eſſe lapideum, c. *Altaria.* de conſecrat. diſt. 1. propter ſtabilitatem & perpetuitatem Sacerdotij Chriſti: *Ieſus autem, eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium,* Hebr. 7. quamquam aliam rationem aſſignat S. Thomas 3. p. q. 83. art. 3. ad 5. tum quia 1. Corinth. 10. dicitur, *Petra autem erat Chriſtus;* tum etiam quia corpus Chriſti in ſepulcro lapideo fuit reconditum. Et eodem pertinet, quòd in Miſſa priuata, dum legitur Euangelium, liber ita poſitus eſſe debet, vt obuertatur cornui ſeu angulo Altaris; quod nonnullæ Eccleſiæ obſeruant etiam in Miſſa ſolenni: quia Chriſtus in ſua Incarnatione factus eſt lapis angularis Eccleſiæ, coniungens vtrumque parietem, id eſt, Gentium & Iudæorum populum in vnum religionis ædificium committens, iuxta prophetiam Dauidis Pſal. 117. *Hic factus eſt in caput anguli.* Hoc eleganter explicat Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo, his verbis. *E lapide porrò eſt Altare, quia Chriſtum refert, qui & petra nominatur, tanquam fundamentum noſtrum, & caput anguli, & lapis angularis: & quia petra, quæ olim profluentibus ex ſe aquis veterem Iſrael potauit, huius imago fuit. Nunc*

enim nos nouum Iſraël potat, non petra aquam ſcaturiens, ſed æternæ vitæ fluenta præbens, viuum, inquam, Verbi ſanguinem.

Ad idem myſterium paſſionis ſpectat, quòd hyſſopus adhibeatur ad ſpargendam commixtionem iſtam vini & aquæ per menſam Altaris, vt ea penitùs lauetur. Sicut enim in lege veteri, quoties de ſanguine victimæ legalis, Chriſti paſſionem præfigurantis, aſperſio facienda erat; adhibebatur in eum vſum faſciculus hyſſopi, vt patet exemplis, Exodi 12. in ſanguine Agni Paſchalis, & c. 24. eiuſdem libri in ritu fœderis initi inter Deum & populum Iſraëliticum, iuxta interpretationem S. Pauli Hebr. c. 9. ac ſimiliter in purificationibus legalibus Leuitici 14. & Numer. 19: ita in lege gratiæ, quoties aſperſio ſeu ablutio myſtica facienda eſt in ſymbolum ſanguinis Chriſti effuſi ad emundationem & ſanctificationem animarum, Eccleſia vti ſolet hyſſopo, quaſi inſtrumento ad id diuinitùs in figuris inſtituto; vt in præſenti myſterio ablutionis Altarium, in conſecratione Eccleſiæ & Altarium, tum ſtabilium, tum portatilium, in benedictione & reconciliatione Eccleſiæ, & aliis eiuſmodi. Ea de cauſa Dauid, remiſſionem peccati ſui petens virtute ſanguinis Chriſti in cruce fundendi, prophe-

tice

tice dicebat Pſal.50. *Aſperges me hyſſopo, & mundabor*: id eſt (vt interpretatur S. Bruno in Expoſitione eius Pſalmi) *Facies me ſimilem illi qui aſpergitur hyſſopo, & ſic facies me ſimilem, quod mundabor: quod eſt dicere, mundabis me per aſperſionem ſanguinis Chriſti, qui erit ſparſus hyſſopo, id eſt, humilitate.* Quem verſum Pſalmi vſurpat Eccleſia in aſperſione aquæ benedictæ, quia illa eamdem ſignificationem habet aſperſionis ſanguinis Chriſti per Baptiſmum. Cur autem hyſſopus ſignificet humilitatem Chriſti, explicat S. Ambroſius Commentarijs in Epiſt. ad Hebræos, ad c. 9. his verbis: *Hyſſopus enim herba humilis eſt, & in petris naſcens. Humilitas Chriſti ſignificatur per hanc herbam, & fortitudo, qua interiora noſtra purgantur. Nam hoc genere herbæ pulmonum vitia purgari ſolent.* Et ſimiliter S. Auguſtinus Enarratione in eumdem Pſalmum, *Hyſſopum* (inquit) *herbam nouimus humilem ſed medicinalem. Saxo hærere radicibus dicitur: inde in myſterio mundandi cordis ſimilitudo aſſumpta eſt. Apprehende, inquit, & tu radicem dilectionis petram tuam: eſto humilis in humili Deo tuo, vt ſis excelſus in glorificato Domino Deo tuo. Aſpergeris hyſſopo; humilitas Chriſti te mundabit*: quia nempe per ſummam humilitatem ſubiecit ſe Chriſtus paſſioni & morti. Sic Be-

Google

da interpretatur Homilia in feria 5. Palmarum: *Christi namque humilitate mundamur; quia, niſi humiliaſſet ſemetipſum, factus obediens Patri vſque ad mortem crucis, non vtique ſanguis eius in peccatorum remiſsionem, hoc eſt in noſtri mundationem, fuiſſet effuſus.* Iuo Carnotenſis, in Sermone de Sacramentis neophytorum; loquens de aqua luſtrationis, de qua Numer. 19. habetur, hyſſopum interpretatur fidem, per quam videlicet applicatur nobis meritum ſanguinis Chriſti: *Quod autem*, inquit, *hyſſopus huic aſperſioni admiſcetur, hoc ſignificatur, quia in fide mortis Chriſti peccata mundantur: Vnde Apoſtolus, Fidę mundans corda eorum: quia, cùm ſit herba humilis, firmiter hæret in petra.* Vtramque interpretationem de humilitate & fide ſequutus eſt S. Thomas, 1. 2. q. 102. art. 5. ad 5. explicans ritum cremandæ vaccæ rufæ in ſacrificium, iuxta Dei præceptum, Numerorum c. 19. ex cuius vaccæ cineribus permiſtis aqua viua fiebat dicta aqua luſtrationis ſeu expiationis, ad purgandas immunditias legales. *Adduntur autem* (inquit) *tria: ſcilicet cedrus, quod ſignificat altitudinem ſpei, vel contemplationis: hyſſopus, quod ſignificat humilitatem, vel fidem: coccus bis tinctus, quod ſignificat geminam charitatem. Per hæc enim debemus Chriſto paſſo adhærere.* Adhibebatur

etenim hyſſopus, tum in comburenda vacca cum aliis lignis, tum etiam in aſperſione aquæ luſtrationis, quæ fiebat ex commiſtione cinerum eius. Heſychius verò lib. 4. in Leuiticum, c. 14. ſic interpretatur: *Hyſſopus boni odoris, gratia ſpiritus cooperatrix emundationis noſtræ eſt.* Deficiente tamen hyſſopo in hac Altarium ablutione, in locum eius ſubſtituuntur, vel etiam eidem adiunguntur, rami ex aliis herbis ſeu fruticibus odoratis, puta ex ſaluia, rore marino, & lauro, & ſi quæ alia huiuſmodi, in quæ quadrare poteſt ſignificatio ſymbolica eiuſdem myſterij.

Porrò non eſt hîc omittendum, in veteri lege, quando ſanguis victimarum aſpergebatur hyſſopo, permiſceri ſolitam fuiſſe aquam ſanguini, quò liquidior & ſparſilis eſſet, vt conſtat ex c. 9. Epiſtolæ ad Hebræos: qua in re perfectè præfigurabatur myſterium ſanguinis & aquæ ex latere Chriſti ſcaturientis, & effundentis ſe in vniuerſam Eccleſiam. Nam, vt in effuſione ac diffuſione vini & aquæ per menſam Altaris, ſignificatur communicatio virtutis paſſionis Chriſti; ita per ablutionem & emundationem, quæ per eam efficitur, intelligendum eſt ſubordinatè exprimi purificationem, & ſanctificationem Eccleſiæ, quæ in vnctio-

ne ſanguinis Chriſti dedicata fuit.

Apud Græcos hoc eodem die fit ſolennis ablutio Altaris,ſed longè maiore apparatu quàm in Eccleſia Latina. Prodit Patriarcha è Diaconico, & Sacrarium ingreſſus à dextra parte,conſiſtit ante Altare. Deinde veniunt Chartophylax, Hypomnematographus,& Hieromnemon,præeuntibus Notariis,& citant Metropolitas atque Archiepiſcopos: ingreſsíque Sacrarium cum penulis, facta Patriarchæ reuerentia,ſacrum Altare in orbem ambiunt,adiunctis ſibi Presbyteris & Diaconis. Tum Patriarcha, Altari incenſato,& ſigno crucis benedicto,dicit Orationem ſolitam pro denudatione Altaris: & ea dicta, ſpoliat Altare, manum præbentibus & adiuuantibus Metropolitis, Archiepiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, canentibus interea Pſalmos, *Miſerere mei Deus*, *Iudica me Deus*, *quoniam in innocentia*, &, *Quàm dilecta tabernacula.* Quibus finitis, menſa Altaris ſpongiis abſtergitur. Deinde, porrigente Chartulario vrceolum cum aqua, benedicit Patriarcha, & ſtatim effundit in menſam; diuiditque Metropolitis, Archiepiſcopis & Presbyteris, linea mantilia, quibus illi eamdem perfricant & detergunt: ac demùm, infuſa aqua odorata ex roſis, diuidit ſingulis ſpongias, quibus illi poſtquam

eamdem menſam abſterſerunt, Altare ſacra veſte induunt, Patriarcha interea ſtatas preces recitante. Quibus abſolutis, idem Altare circumquaque incenſat, &c. ſignat: egreſſúſque extra Eccleſiam, occluſis foribus, facit mandatum ablutionis pedum, vt habetur in Euchologio. Et in vtraque quidem Oratione, tum quæ fit in denudando, tum quæ in veſtiendo atque ornando Altari, ſignificat Pontifex, per Altare figuram exprimi ſepulcri Dominici: atque in priore petit à Deo, vt circumſtantes Sacerdotes myſtici conuiuij, & cœleſtis regni participes efficiat: in poſteriore autem, vt per ablutionem Altaris lauet ab omni pollutione mentis & corporis, ſenſus purificet ab omni ſorde peccati, atque irreprehenſibiles & immaculatos conſtituat perficiendo diuino ac tremendo ſacrificio viuificantis ſanguinis & corporis Domini, quod in ſepulcro conditum, & cum gloria ſubinde tertio die reſurgens, fontem nobis perennem excitauit vitæ & immortalitatis, conculcata morte, & ſublato eius ſtimulo.

Google

De Proceſsione in Sabbato ſancto, ad benedictionem Fontis baptiſmalis.

CAPVT XIII.

SAnctus Gregorius Nazianzenus Oratione 43. ſcribit, ſolennitatem Sabbati ſancti eſſe *μεθόριον τῆς ταφῆς καὶ τῆς ἀναστάσεως*, *confinium ſepulturæ & reſurrectionis Chriſti*: quia, cùm media ſit inter diem mortis & reſurrectionis, vtriuſque myſterij repræſentationi participat: vnde hac die Eccleſia celebrat ſolennitatem Baptiſmi, qui figuram gerens ſepulturæ Chriſti, à morte vim abluendi à peccatis, à reſurrectione vitæ innouandæ gratiam accipit, vt iuxta myſticam analogiam obſeruauit Durandus lib. 6. Rational. c. 82. Quod ſic explicat Rupertus, de diuinis offic. lib. 6. c. 26. *Duæ ſunt* (inquit) *iſtæ Paſchalis magnæ & innumerabiles cauſæ feſtiuitatis; redemptio animarum, quæ die Paraſceues morte Chriſti parta eſt; & reſurrectio corporum, quæ prima Sabbati Chriſto reſurgente data atque confirmata eſt. Additur his tertia neceſſaria baptiſmatis ſolennitas, omnem nobis illarum conferens vtilitatem vel fructum, quæ pro eo quòd ab illis exordium totúmque ſuæ rationis ſumpſit Sacramentum,*

rectè in eiſdem Paſchalibus gaudiis addita eſt. Atque illud idem repetit c. 32. Eadem eſt doctrina S. Leonis in Epiſtola 4. quæ eſt ad vniuerſos Epiſcopos per Siciliam conſtitutos, & habetur in Canone, *Propriè.* de Conſecrat. diſt. 4. *Propriè in morte Crucifixi, & reſurrectione ex mortuis, potentia baptiſmi nouam creaturam condidit ex veteri: vt in renaſcentibus & mors Chriſti operetur & vita, dicente beato Apoſtolo Paulo* (Rom. c. 6.) *An ignoratis, quia quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus? Conſepulti enim ſumus cum illo per baptiſmum in mortem; vt, quomodo ſurrexit Chriſtus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus: ſi enim complantati facti ſumus ſimilitudini mortis eius, ſimul & reſurrectionis erimus, & cætera, quæ latius Magiſter gentium ad commendandum Sacramentum baptiſmatis diſputauit: vt appareret ex huius doctrinæ ſpiritu, regenerandis filiis hominum, & in Dei filios adoptandis, illum diem eſſe & illud tempus electum, in quo per ſimilitudinem formámque myſterij ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipſo ſunt capite geſta congruerent, dum in baptiſmatis regula & mors interuenit interfectione peccati, & ſepulturam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis eleuatio reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro. Ipſa*

igitur operis qualitas docet, celebrandæ generaliter gratiæ eum eſſe legitimum diem, in quo orta eſt & virtus muneris, & ſpecies actionis.

Eccleſia itaque, vt vniuerſum Baptiſmi myſterium hac die quaſi ſub oculos ponat, in ipſa proceſſione omnia quæ ad illud pertinent, compoſito cæremoniarum ordine, ſimul ſpectanda exhibet: figuram quæ anteceſſit, inſtitutorem, cauſam ſanctificationis, materiam, ritum, effectum. Qua de re ſic Ordo Miſſæ Ambroſianæ in Sabbato ſancto. *Igitur in huius diei veſpere cuncta venerabilis Sacramenti plenitudo colligitur: &, quæ diuerſis ſunt præfigurata vel geſta temporibus, huius noctis curriculo deuoluta ſupplentur. Nam primum hoc veſpertinum lumen, ſicut illa dux Magorum ſtella, præcedit: deinde myſticæ regenerationis vnda ſubſequitur, velut dignante Domino fluenta Iordanis: tertiò reſurrectionem Chriſti vox Apoſtolica Sacerdotis annuntiat: tum; ad totius myſterij ſupplementum, Chriſto veſcitur turba fidelium, quæ reſurrectionis Dominicæ diem, Chriſto in omnibus proſperante, ſuſcipiat.* Vbi, quod dicitur, Sacerdotem annuntiare reſurrectionem Chriſti, antequam ad communionem populus accedat, referendum eſt ad id quod idem Ordo Ambroſianus paulò poſt habet, in Eccleſia maiore, Miſſa inchoante, ter Sacerdotem publicè

denuntiare, *Chriſtus Dominus reſurrexit:* cui reſpondetur à Choro, *Deo gratias.*

Figura fuit, iuxta S. Paulum 1. Corinth. c. 10. traductio populi Iſraëlitici per mare rubrum, præeunte columna nubis & ignis; demerſio Pharaonis Ægyptiorumque perſequentium, & populi ex abyſſis emergentis liberatio.

Traductionem maris, incolumi exercitu Hebræorum, repræſentat progreſſus Cleri & Catechumenorum ad Fontem baptiſmalem, & eorumdem regreſſio in Chorum cum Cantico illo triumphali, quod cecinit Moſes cum filiis Iſraël, poſtquam in litore ſalui conſtiterunt, *Cantemus Domino.*

Columnam repræſentat Cereus benedictus, lumine ſuo ignem populo in nocte prælucentem exhibens, craſſitudine verò, ſeu mole ſolito grandiore, nubem per æſtum diei obumbrantem. Atque hæc eſt cauſa, cur idem Cereus apud nos columnæ imponi ſoleat; & eum columnæ forma olim fieri ſolitum conjici poteſt ex Euſebio, lib. 4. de vita Conſtantini, c. 22. vbi Conſtantinus ſublimes è cera columnas paſſim tota vrbe accendi mandauit ipſa nocte Paſchalis ſolennitatis, in ſignum reſurgentis Chriſti; & ex his verbis benedictionis, *Sed iam columnæ huius præconia nouimus:* De quibus ſic Rupertus lib. 6. de diuin. offic. c. 29. *Quod enim*

Digitized by Google

ait, Columnæ huius præconia nouimus, apertè nobis innuit, quòd illud idem per hanc pretioſam lampadem intelligere debeamus, quod per illam præfigurabatur columnam, quæ caſtra filiorum Iſraël de Ægypto exeuntium per mare rubrum præcedebat. Significabat autem illa columna nubis benè notam nobis humanitatem Chriſti, in qua propriè thronum ſuum poſuit ſapientia Dei, ſicut ipſa dicit: Thronus meus in columna nubis. Siquidem nunc illa columna nubis populum ſuum, à Diaboli ſeruitute liberatum, & rubrum mare Baptiſmi tranſeuntem, præcedit dux itineris: vt inducat in terram veram repromiſsionis, terram viuentium: quam (ſicut Moſes ait) Dominus Deus noſter die ac nocte intuetur; nunc cœleſtibus doctrinis compluens, vt verè columna nubis: nunc igne ſui Spiritus accendens, vt verè columna ignis. Vbi obiter notandum eſt, quod dicit Rupertus, Sapientiam Dei poſuiſſe thronum ſuum in humanitate, non ita eſſe accipiendum, quaſi ſentiat cum Neſtorio, qui aſſerebat, beatam Virginem non eſſe Dei genitricem, ſed genitricem templi in quo Deus inhabitat, vt refert S. Cyrillus Alexandrinus parte tertia Concilij Epheſini, in Defenſione primi Anathematiſmi: ex quo ſequebatur Verbo diuino non eſſe vnitam humanitatem in perſona, ſed illud in ea verſatum per modum externæ cuiuſdam habitationis: Sed loquitur ibi Ru-

pertus per quamdam ſimilitudinem; quòd, ſicut dicebatur Deus habitare in nube illa columnæ, & ex ea quid fieri vellet denuntiare, & iter populo ad terram promiſſionis oſtendere, ita Sapientia diuina, humanam naturam aſſumens, in ea quaſi in throno quodam videtur ſedem ſibi collocâſſe, vnde doctrinam vitæ hominibus daret, & iis viam ad vitam æternam præmonſtraret. Sic Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de Sabbato ſancti Paſchæ: *Concordat Cereus hic in ſignificatione cum columna ignis, qui illuminabat populum Iſrael in nocte, vt illud in ipſa benedictione. Sed iam columnæ huius præconia nouimus. Columna illa Chriſtum ſignificabat. Illa columna præcedebat filios Iſraël: noſtra columna, id eſt, Cereus, præcedit Catechumenos noſtros. Lumen ipſius Chriſtum ſignificat, quo & præſens nox illuſtratur, gratia ſcilicet reſurrectionis, & Catechumeni ad Baptiſmum venturi.* Quibus ſimilia habet Ordo Miſsæ Ambroſianæ in Sabbato ſancto, ex quo conjicere licet, Cereum Paſchalem olim ex cera candida fingi ſolitum: ſic enim ſcribit: *Decet ergo in hoc Domini Saluatoris noſtri veſpertinæ reſurrectionis aduentu ceream nos adolere pinguedinem, cui ſuppetit candor in ſpecie, ſuauitas in odore, ſplendor in lumine: quæ nec marceſcenti liquore defluit, nec offenſam tetri odoris exhalat.* Deinde ſequentibus verbis rationem red-

dit, cur eiuſdem Cerei ſubſtantiam oportuerit ex floribus exprimi. *Quid enim* (inquit) *magis accommodum, magiſque feſtiuum, quàm Ieſſeico flori floreis excubemus vt tedis? præſertim cùm & Sapientia de ſemetipſa cecinerit; Ego flos agri, & lilium conuallium. Cera igitur nec pinus exuſta deſudat, nec crebris ſauciata bipennibus cedrus illacrymat: ſed eſt illis arcana de virginitate creatio, & ipſæ transfiguratione niuei candoris albeſcunt.*

Demerſionem Pharaonis & Ægyptiorum ſignificat ablutio in aqua per gratiam Sacramenti, qua projiciuntur in profundum maris miſericordiarum Dei omnia peccata baptizatorum, & cum iis omnis Diaboli vis, quaſi in abyſſum depreſſa, demergitur, vt interpretatur Tertullianus libro de Baptiſmo, c. 9. his verbis: *Quot igitur patrocinia naturæ, quot priuilegia gratiæ, quot ſolennia diſciplinæ, figuræ, præſtructiones, precationes, religionem aquæ ordinauerunt? Primò quidem, cùm populus de Ægypto liberè expeditus, vim regis Ægypti per aquam tranſgreſſus euadit, ipſum regem cum totis copiis aqua extinxit. Quæ figura manifeſtior in Baptiſmi Sacramento? Liberantur de ſæculo nationes, per aquam ſcilicet, & Diabolum dominatorem priſtinum in aqua oppreſſum derelinquunt.* Sanctus Hieronymus Epiſtola ad Oceanum: *Pharao cum exercitu ſuo nolens populum Dei exire de Ægypto, in typo Baptiſmatis*

ſuffocatur. Ordo Miſſæ Ambroſianæ loco citato: *Ecce iam ignis columna reſplendet, quæ plebem Domini beatæ noctis tempore ad ſalutaria fluenta præcedat, in quibus perſecutor mergitur, & Chriſti populus liberatus emergit. Nam ſancti Spiritus vnda conceptus, per Adam natus ad mortem, per Chriſtum regignitur ad vitam.* Imò ipſe S. Ambroſius libro de initiandis, c 3. *Aduertis* (inquit) *quòd in illo Hebræorum tranſitu iam tunc ſacri baptiſmatis figura præceſſerit, in quo Ægyptius periit, & Hebræus euaſit. Quid enim aliud in hoc quotidie Sacramẽto docemur, niſi quia culpa mergitur, & error aboletur; pietas autem & innocentia tuta manet?*

Inſtitutor & auctor Baptiſmi Chriſtus repræſentatur in eodem Cereo; cera quidem, quæ ex apis matris ſubſtantia ſine admiſſione maris concipitur, carnem humanitatis ex puriſſimo beatæ Virginis ſanguine abſque vlla viri cõmiſtione progenitam ſignificante; lumine autem, quod ex igne per benedictionem ſanctificato accenſum eſt, diuinitatem eiuſdem demonſtrante, cuius vnione omni gratia in animã effuſa, factus eſt Chriſtus lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & ducatum ad vitam æternam præſtat ſequentibus ſe. De ſymbolo ceræ idem Rupertus ibidem: *Benè ergo ſignificationis ordo precedit, dum claram reſurgentis magnitudinem præclari ſignifi-*

tat magnitudo Cerei. Eo vel maximè Cereus ad Christi ſimilitudinem accedit, quod paruula, quæ ſubſtantiam ceræ educit, apis mater abſque concubitu concipit & parit: cui rectè comparatur virgo Maria Dei genitrix, quæ inuiolata nobis Deum in carne, quaſi mel in cera, protulit. De ſymbolo autem luminis ſic adiungit: *Dum ergo columnam ceream rutilans ignis accendit, illud innuitur, quod extinctam in ſepulcro iacentem humanitatis Christi ſubſtantiam, de ſupernis aſpirans ignea diuinitatis potētia rurſus animauit; & ſicut verè rutilans ignis, gloria beatæ reſurrectionis hac nocte in perpetuum nobis gaudium feliciter illuxit.* Et multo antè S. Ambroſius lib. 1. de Sacramentis, c. 6. *Tenebat virgam Moyſes, & ducebat populum Hebræorū, in nocte in columna lucis, in die in columna nubis. Lux quid eſt, niſi veritas, quæ apertum & plenum lumen effundit? Columna lucis quid eſt, niſi Chriſtus Dominus, qui tenebras infidelitatis depulit, & lucem veritatis & gratiæ ſpiritalis affectibus infudit humanis.* Atque ea de cauſa Sacerdos in proceſſione Cereo benedicto thus adolet, vt pote imagini Chriſti; &, vbi ad Fontem ventum eſt, idem Cereus à parte orientali ſtatuitur, quaſi eum referens cuius nomen Oriens eſt, Zachar. 3. & 6. qui ſemper lucet, & neſcit occaſum: vnde in libro ſacerdotali Æthiopū, Sacerdos benedicēs aquam baptiſmalem iubetur aſpicere ad Orientem,

ſicut in ipſa adminiſtratione baptiſmi, iuxta Eccleſiæ Græcæ & Latinæ ritum, baptizandus, dum profeſſionem fidei emittit, & ſacra aqua abluitur, ſtat verſus Orientem, vt eſt apud Clementē Rom. lib. 7. Conſtit. Apoſt. c. 45 Dionyſium Areopag. c. 3. Eccleſ. hierarch. Hieronymum in ſextum caput Prophetæ Amos. Cyrillum Ieroſolymitanum Catecheſi myſtagogica 1. & in Euchologio Græcorum in Ordine Baptiſmi.

Idem Cereus, dum à Sacerdote in aquam Fōtis demergitur, exprimit Chriſtum aquas Iordanis ingredientem, & eas humanitatis ſuæ contactu, & Spiritus ſancti influxu ſanctificantem, vt regenerandi vim habeant, iuxta doctrinam eiuſdem Cyrilli, Catecheſi myſtag. 3. quare canit tunc Sacerdos, *Deſcendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus ſancti*, reſpiciens ad illud quod Euangeliſtæ ſcribunt, quando Chriſtus in Iordane baptizatus fuit, Spiritum ſanctum ſuper caput eius in ſpecie columbæ deſcendiſſe. Et hoc ſymbolo repræſentatur cauſa ſanctificationis baptiſmi. Dum autem idem Cereus ex aqua poſt trinam demerſionem educitur, eumdem Chriſtum ſignificat poſt triduum ſepulturæ à morte reſurgentem.

Quod vero Neophytorum cerei, & alij per Eccleſiam, dato à pueris tertio ſigno, *Ao-*

Digitized by Google

cendite, de lumine Cerei benedicti accenduntur, id ſignificat illuminationẽ fidei, quæ per Sacramentum Baptiſmi à virtute Chriſti deriuatur: vnde Baptiſmis ab antiquis φωτισμὸς, *Illuminatio*, & baptizati φωτισοὶ, *Illuminati*, & recens baptizati νεοφώτισοι, dicti ſunt; & mos eſt Eccleſiæ, infantibus poſt baptiſmum cereum ardentem in manum tradere: & apud Græcos dies Epiphaniæ Feſtũ luminum appellatur, quòd per eum diem Chriſtiani memoriam baptizati Chriſti, & Sacramenti Illuminationis per eumdem inſtituti, cereis accenſis publicè celebrent. Accenſionem autem illam cereorum fieri ad Verſũ, *Agnus Dei*, ſcribit Amalarius, vt demonſtretur, quòd per illum Agnum, qui tollit peccata mundi, vnuſquiſque lumen accipere debet. Paulò aliter rem hanc explicat Rupertus loco citato. *Eodem*, inquit, *igne conſecrati Cerei, cuncti, qui in Eccleſia ſunt, illuminari debent cereoli. Quod cùm ſit, opportunè nobis illud in mentem ſubuenit, quòd Dominus noſter ea die, qua reſurrexit, cùm eſſet ſerò, ſtans in medio diſcipulorum ſuorum, manuſque & latus oſtendens eis, inſufflauit, & dixit eis, Accipite Spiritum ſanctum. Illic enim cœpit ille hominibus dari ignis, quem per hunc viſibilem ignem conſtat ſignificari, quem venit ipſe mittere in terram, & voluit vehementer accendi.*

Duo

Duo autem cerei minores, qui, à Cereo benedicto illuminati, cum ſemper in proceſſione hac die & ſequentibus diebus per Octauam Paſchæ antecedunt, Diſcipulos Chriſti deſignant, quos ille, à ſe doctrina veritatis illuminatos, miſit binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipſe venturus, iuſsítque docere omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Qua de re ita Alcuinus lib. de diuin. Offic. c. de Sabbato ſancti Paſchæ: *Cereo benedicto, illicò illuminantur ab eodem alij Cerei duo, ſtaturam hominis habentes. Cereus, qui nouo igne accenditur, nouam Chriſti doctrinam ſiue gratiam in nouo Teſtamento, nouámque gratiam qua nox Dominica illuſtratur, deſignat: duo illi qui illuminantur ab eo; doctrinam Apoſtolicam deſignant; quibus dicitur, Vos eſtis lux mundi.* In nónnullis tamen Eccleſijs vnicus cereus defertur, qui indicet Apoſtolos acceptam à Chriſto lucem veritatis per mundum ſua prædicatione diffundentes. Et id quidem etiam antiquitùs à pleriſque fuiſſe obſeruatum, conijcere eſt ex Amalario Fortunato, c. 20. lib. 1. de Eccleſiaſt. Offic. qui ea de re in hunc modum ſcribit: *Quoniam Chriſtus lux vera, qui illuminat omnem hominem*

venientem in hunc mundum, dixit Choro Apoſtolorum, Vos eſtis lux mundi; ſit Cereus conſecratus in Chriſti perſona; ſit alter Cereus illuminatus à primo Cereo; vtrique præcedant nos ad terram promiſſionis: Et ſtatim: *Per ſe Chriſtus illuminat Eccleſiam, illuminat & per Apoſtolos.* Idem tradit Durandus lib.6. c.8. Sed tractu temporis gliſcente errore, factum eſt, vt alter iſte addititius cereus eiuſdē rationis eſſe crederetur atque principalis ille, & pleriſque in locis eadem benedictione conſecraretur, & aquis baptiſmalibus ſanctificandis adhiberetur: quaſi Apoſtoli perinde vnctione Spiritus ſancti Chriſti eſſent, perinde Saluatores, perinde populi Iſraëlitici in columna duces ac liberatores, perinde gratiam capitis & poteſtatem excellentiæ habentes, perinde ſua luce lucentes, perinde baptiſmi auctores, & aquas propria virtute ſanctificantes, perinde Patrem æternum ſui oblatione placantes, perinde propria virtute à morte reſurgentes, atque vnigenitus ille Dei Filius, in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Quod cùm ſine Chriſti iniuria, & Religionis ſcandalo tolerari videatur non poſſe, ad communem Eccleſiæ vſum reuocandum eſt, vt vnus ſit

Cereus grandioris formæ, qui Chriſti aquas ſanctificantis, & cum gloria reſurgentis, imaginem referat: duo minores, Apoſtolicæ prædicationis miniſterium ſignificantes, qui ei honoris cauſa præferantur, iuxta diſpoſitionem Ordinis Romani, Miſſalis Romani, Ordinarij, Miſſalis, & Ritualis Andegauenſis, & doctrinam Alcuini loco nuper citato, & Honorii in Gemma, lib.3.c.101.

Quinque grana thuris, quæ igni admota Cereo in modum crucis infiguntur, denotant Chriſtum, igne charitatis ardentem, ſe in altari crucis pro nobis Deo Patri obtuliſſe in odorem ſuauitatis, & præ reuerentia meritorum ſuorum exauditum eius iram placauiſſe. Vnde Eccleſia thus illud adhibendo canit, *Suſcipe, ſancte pater, incenſi huius ſacrificium veſpertinum.*

Stillatio Cerei in aquam Fontis, ſignificat ſanguinem è capite & vulneribus Chriſti rorantem in aquam baptiſmalem, vt eam virtute paſſionis ſuæ ſanctificet, iuxta illud S. Auguſtini, Tract.2. in Ioan. *Vnde rubet baptiſmus, niſi ex ſanguine Chriſti?* & ita aqua Fontis verè eſt mare rubrum, vt exponit Concilium Toletanum quartum c.6. & Cæſarius Arelaten-

ſis appoſitè ad hoc myſterium, Homilia 5. quæ eſt de Paſchate: *Sub hoc tempore excutitur Pharao cum exercitu in mari rubro: pereuntibus ſacro in Fonte peccatis, tamquam in rubras Ægyptij demerguntur vndas: rubras, id eſt, Chriſti ſanguine conſecratas.* Quo modo etiam infuſio Chriſmatis & Olei ſancti eidem adhiberi ſolet; vt vnctione Spiritus ſancti fœcundetur ad regenerandos populos in adoptionem filiorum Dei: vnde eadem aqua *mater adoptionis* appellatur à S. Dionyſio, Eccleſiaſt. Hierarch. c. 3.

Cætera quæ ad perfectam repræſentationem Baptiſmi hîc adhibentur, ex ſuperioribus plana ſunt: nam in aqua materia, in demerſione ritus, in illuminatione & ablutione effectus demonſtratur.

Porrò aquæ baptiſmalis conſecrandæ ritus ab Apoſtolis manauit. Nam eius meminerunt, Clemens Romanus lib. 7. Conſt. Apoſtol. c. 44. & S. Dionyſius Areopagita Eccleſiaſt. Hierarch. c. 3. & Tertullianus lib. de baptiſmo c. 4. & S. Cyprianus Epiſt. 70. & S. Ambroſius lib. 1. de Sacram. c. 5. de his qui myſt. init. c. 3. lib. 1. de Spiritu Sancto c. 7. & alij antiquiores Patres: & S. Gregorius in libro Sacramentorum eamdem formam bene-

dictionis habet qua hodie vtitur Eccleſia; cui ſimilem etiam habet Ordo Miſſæ Ambroſianæ.

Cerei verò Paſchalis benedictionem inſtituiſſe Zoſimum Papam ſcribunt, Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valafridus Strabo, Micrilogus, Rupertus, Honorius, Sigebertus, Durandus. Sed antiquiorem eius fuiſſe inſtitutionem arguit idem Ordo Miſſæ Ambroſianæ, & Hymnus Prudentij in libro Cathemerinôn, qui inſcribitur, *Ad incenſum Cerei Paſchalis*, olim cantari ſolitus in Officio Sabbati ſancti, vt conſtat ex Ordine Romano, & Ruperto lib. 5. de diuin offic. c. 28: quó in Hymno, præter myſterium tranſitus maris rubri, de quo ſuprà, explicat eleganter ritum excutiendi noui ignis è ſilice, his verſibus.

Incuſſu ſilicis lumina nos tamen
Monſtras ſaxigeno ſemine quærere:
Ne neſciret homo ſpem ſibi luminis
In Chriſti ſolido corpore conditam,
Qui dici ſtabilem ſe voluit petram,
Noſtris igniculis vnde genus venit.

Zoſimus ergo non conſtituit primitùs Cereum Paſchalem benedici; ſed, cùm eius benedictio apud maiores tantùm baſilicas in vſu eſſet (vt de eulogiis olim fa-

ctum eſt) eam quoque ad parochiales Eccleſias extendit. Hoc enim ſolùm ſignificare videtur liber Pontificalis in eius vita, cùm ſcribit: *Et per parochias conceſsit licentiam benedicendi Cereum Paſchalem*: quem ſecutus Platina in eiuſdem Zoſimi vita, ſcripſit: *Conceſſit item, vt in parochijs cerei Sancto Sabbato benedici poſſent.*

De cauſa benedicendi Cerei ita Concilium Toletanum quartum c.9. *Propter glorioſum noctis ipſius Sacramentum ſolenniter hæc benedicimus: vt ſacræ Reſurrectionis Chriſti myſterium, quod tempore huius votiuæ noctis aduenit, in benedictione ſanctificati luminis ſuſcipiamus.* Durandus verò lib. 6. c. 80. *Benedicitur ideo* (inquit) *quoniam ex ſimplici ſui natura, abſque benedictione, non poteſt tranſire ad ſignificationem myſterij columnæ ignis: benedicitur etiã, propter gloriam Reſurrectionis eius, quem & Pater benedicit; & quia per ipſum ipſe Chriſtus viſibiliter ad memoriam reducitur.*

Quod verò ſpectat ad formam benedictionis eiuſdem, qua vtitur Eccleſia Romana, ea vulgò adſcribitur S. Ambroſio, vt auctores ſunt, Honorius in Gemma animæ lib.3. c.102. & Durandus Rational. lib.6. c. 80. in Gottico Miſſali, tomo

6. Bibliothecæ Patrum, dicitur edita & decantata à S. Auguſtino, cùm adhuc Diaconus eſſet. In Ordine Miſſæ Ambroſianæ principium quidem eius iiſdem prorſus verbis perſcriptum eſt: ſed reliquus textus longè à Romano diſſidet.

Cæterùm id ſingulare in hac benedictione eſt, quòd fieri debeat per Diaconum, qui eſt minoris ordinis, etiam præſente Epiſcopo vel Sacerdote, vt Alcuinus & paſſim antiqui Auctores docent, & id habetur in Ordine Miſſæ Ambroſianæ, loco citato: qua ratione, iuxta Ordinem Romanum, in Eccleſia Cathedrali id munus delegatur Archidiacono, vt Diaconorum principi. Cuius rei eam cauſam eſſe dicunt Rupertus lib. 6. de diuin. offic. c. 30. Durandus lib. 6. Rational. c. 80. & Ioannes Belethus Explicationis ſuæ c. 109. & poſt eos Sacerdotale Romanum, parte tertia; *quia bonum ſanctæ reſurrectionis Chriſti nuntium per minorem ſexum, id eſt, per mulieres, ſanctis Apoſtolis flentibus & lugentibus euangelizatum eſt.* Vnde in dicto Ordine Romano Archidiaconus, priuſquam benedicat Cereum, *humiliter inclinatus rogat vnum de Sacerdotibus vel Leuitis pro ſe orare*, id eſt, ſibi benedictionem impertiri; quod facit dicendo, *Iube*

domne benedicere, vt in Miſſali & Rituali præſcribitur. Quapropter, licèt hodie Archidiaconi in ſacerdotali ordine ſint conſtituti, quia tamen in hoc ritu Diaconali miniſterio funguntur, & ratione myſterij repræſentare debent inferiorem ſexum ſuperiori, conditionem muliebrem dignitati Apoſtolicæ reſurrectionemDomini annuntiantem; ideo à Celebrante, qui Chriſti Pontificis in Officio vicem tenet, miſſionem prædicandi tam boni nuntij, id eſt, benedictionem, ſuſcipere debent: qua ratione in Eccleſiâ Andegauenſi Decanus, quando recitat nonam lectionem in Choro, benedictionem accipere ſolet ab inferiori Dignitate, & Dignitates à Canonicis officiantibus, & Canonici in quotidiana recitatione lectionum ab Officiariis.

Memorabile eſt quod ſcribit Sigebertus in Chronico, anno Chriſti 417. *Quidam* (inquit) *Occidentales, vltimo anno Cycli decennouenalis, pro emboliſmo communem annum tenentes, ac per hoc in Paſcha celebrando aberrantes, diuino miraculo ad veritatem reuocantur. In vna enim Italiæ Eccleſia, vbi annuatim Sabbato ſancto Paſchæ hora baptizandi ſolebat aqua diuinitùs manare, & ſtatim ex ſeſe redire, nullo*

deductorio penitùs apparente: tunc temporiùs iuſto, id eſt, octauo Calendas Aprilis, Paſcha celebrantes, aqua non emanans expectatione totius diei ac noctis feſellit: legitime autem die Paſcha, hora baptizandi, aqua ſolito emanans, decimò Calendas Maij Paſcha debere celebrari oſtendit: quanquam paulò aliter idem Sigebertus rem narrat ad annum 573. controuerſiam de die Paſchæ ponens inter Hiſpanos & Francos, quæ ſecundum Francos miraculo dirempta fuerit. Et certè Gregorius Turonenſis, qui anno 572. ordinatus fuit, fontem iſtum mirabilem in Luſitania fuiſſe ſcribit, rei vniuerſæ ordinem narrans libro 1. de gloria Martyrum, c. 24. *Eſt & illud* (inquit) *illuſtre miraculum de fontibus Hiſpaniæ, quos Luſitania prouincia profert. Piſcina namque eſt apud Oſen campum antiquitùs ſculpta, & ex marmore vario in modum crucis miro compoſita opere. Sed & ædes magnæ claritatis ac celſitudinis deſuper à Chriſtianis conſtructa eſt. Igitur, cùm dies ſacer poſt curriculum anni decedentis aduenerit, quo Dominus confuſo proditori myſticam Diſcipulis præbuit cœnam, conueniunt in locum illum cùm Pontifice ciues, iam odorem ſacri præſentientes aromatis. Tunc, data oratione, Sacerdos*

oſtia templi iubet muniri ſignaculis, aduentum virtutis Dominica præſtolantes. Die autem tertia, quod eſt Sabbati, conuenientibus ad baptizandum populis, adueniens Episcopus cum ciuibus ſuis, inſpectis ſignaculis, oſtia reſerat clauſa. Ac, mirum dictu, piſcinam, quam reliquerant vacuam, reperiunt plenam: ſed ita cumulo altiore refertam, vt ſolet ſuper ora modiorum triticum aggregari: videáſque huc illúcque latices fluctuare, nec partem in diuerſam defluere. Tunc cum exorciſmo ſanctificatum, conſperſum deſuper Chriſma, omnis populus pro deuotione haurit, & vas plenum domi pro ſaluatione reportat, agros vineáſque aſperſione ſaluberrima tutaturus. Et, cùm exinde multitudo amphorarum ſine collecto numero hauriatur, numquam tamen vel cumulum minuit: licèt, vbi infans primus intinctus fuerit, mox aqua reducitur, & baptizatis omnibus, lymphis in ſe reuerſis, vt initio produntur, neſcio ita & fine clauduntur ignaro.
Et duobus ſequentibus capitibus ſubdit miracula facta aduerſus hæreticos, qui iſti aquæ miraculo noluerant fidem adhibere. Simile eſt quod ſcribit Ioannes Moſchus in Prato ſpirituali, c. 215. *Eſt* (inquit) *& in caſtello Cedebratis, quod ſub monte Ænoandròn ciuitatis ſitum eſt, Baptiſte-*

rium, quod in Paſchali ſancta Reſurrectionis feſtiuitate, cùm ſit lapis vnus, ex ſeipſo continuò impletur. Durátque aqua illa vſque ad Pentecoſten: móxque, tranſacta Pentecoſte, euaneſcit. Idem quoque capite precedenti ſcribit de alio Baptiſterio, *quod in ſanctis Epiphanijs ſudat: qui ſudor per tres horas continuis incrementis augetur, & poſt baptiſma peractum decreſcere incipit, & tribus alijs horis ſenſim deficit.* In Epiphaniis dicit; quia ritu antiquo Eccleſiæ Græcæ ſolennis baptiſmus celebratur in dicto Feſto, propter memoriam baptiſmi Chriſti, qui eo die factus recolitur.

De Proceſsione matutina ante Laudes, in die Paſchæ.

CAPVT XIV.

SANCTVS Gregorius Nazianzenus, Oratione 42. ſermonem habiturus ad populum in die Paſchæ, narrat, ſibi contemplanti viſam huiuſmodi ſpeciem. Angelus quidam ſublimis, amictus veſte candida, ac ſplendenti in modum fulguris, nubes curſu tranſcendens, manum

verſus Orientem protendit, ingenti voce quaſi buccinæ per aëra ſonantis, clamans: *Hodie ſalus mundo, tam viſibili, quàm inuiſibili. Chriſtus ex mortuis ſurrexit: & vos cum eo ſurgite. Chriſtus ad ſeipſum rediit: redite & vos. Chriſtus ex ſepulcro liber euaſit: & vos è vinculis peccati liberamini. Portæ Inferi aperiuntur, & mors deſtruitur, & vetus Adam deponitur, & nouus perfectum ſtatum conſequitur: ſi qua in vobis eſt noua in Chriſto creatura, & vos quoque renouamini.* Hæc eo dicente, circumfuſus aliorum Angelorum exercitus canere cœpit: *Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas.* Cum quibus (inquit Gregorius, populum alloquens) & ego (vtinam & hac in parte vocem Angelicæ parem, atque omnes orbis fines circumſonantem, ſortiar) his verbis vos affabor. *Paſcha Domini, Paſcha, iterumque Paſcha, in honorem Trinitatis. Hæc nobis feſtiuitatum feſtiuitas, & celebritas celebritatum: tanto cæteris omnibus, non ſolùm humanis, ſed etiam ipſius Chriſti feſtis ſuperior, quanto ſol ſtellas antecellit.*

Antiquiſſima hæc eſt, & à primis ſæculis repetita Eccleſiæ Chriſtianæ conſuetudo, vt gaudium feſtiuitatis Paſchalis primo manè, ſolenni aliquo ritu, & ſin-

gulari alacritatis ſigno, fidelibus populis boni ominis cauſâ nuntietur; atque adeo illi præ gaudio, in nomine tanti támque ſalutaris myſterij, ſe inuicem ſalutent in oſculo ſancto. Ac de vſu quidem Romanæ Eccleſiæ in hunc modum ſcribit vetus Ordo Romanus. *In ipſa nocte* (Reſurrectionis) *matutina luce rumpente tenebras, ſurgentes in Eccleſiam veniunt, & mutua charitate ſe inuicem oſculantes, dicunt: Surrexit Dominus de ſepulcro*: & ſtatim inchoatur Matutinum. Etiámque hodie Romæ in nocte Paſchæ, circa horam qua creditur Chriſtus reſurrexiſſe, quotannis in foro Agonali celebratur ſolennis proceſſio, in qua non tantùm hymnis & canticis Eccleſiaſticis denuntiatur, ſed etiam publico ſpectaculo exhibetur populo Romano, ſignificatio feſtiuæ exultationis & lætitiæ de Reſurrectione Domini. In Ordine autem Miſſæ Ambroſianæ, pro die Paſchæ, ita ſcribitur: *Ad Miſſam in Eccleſia maiore, Adnuntiatio Reſurrectionis Domini ter repetita: Chriſtus Dominus ſurrexit. R. Deo gratias.*

Græci ſimiliter illuceſcente aurora eumdem ritum obeunt, ſed cum illuſtri & ſplendido apparatu. Nam (vt plenè deſcribitur initio Pentecoſtarij, & apud Co-

dinum libro de official. aulæ Conſtantinop. c. 14.) circa horam diluculi, pulſatis omnibus ſignis, Præpoſitus diuidit Clericis cereos: &, Sacerdote induto ſtola candida, ſimul cum Diacono antecedente, præeuntibus illi Ceroferariis, exeunt omnes ex Eccleſia per oſtium boreale, pergúntque in veſtibulum, cereos gerentes accenſos: ſolo intùs remanente Candelapte, qui, accenſis omnibus cereis & candelis per Eccleſiam, excitato igne foculum vnum ponit in medio nauis Eccleſiæ, alterum ante fores Sacrarij: &, in vtrumque immiſſo thure, thymiamaterium ſimiliter fumigans copioſo thure intra Sacrarium ſuſpendit. Sacerdos autem, incenſatis ſanctis imaginibus extra veſtibulum, ac deinde omnibus è Clero circumſtantibus per ordinem, conſiſtit ante fores Eccleſiæ clauſas, & eas ducto in morem crucis thuribulo ter incenſo adolet, ſimul dicens: *Gloria ſanctæ, & conſubſtantiali, & viuificatrici, & indiuiſæ Trinitati, omni ex parte, nunc & ſemper, & in ſæcula ſæculorum.* Reſponſo à Clero, *Amen*, idem Sacerdos elata voce cantat hoc Troparium: *Chriſtus reſurrexit ex mortuis, morte mortem conculcans, & ijs qui in monumentis erant vitam largiens.*

Chorus idem cum concentu repetit; *Chriſtus reſurrexit, &c.* Atque id ſecundò & tertiò ab vtriſque alternis vicibus canitur. Tum Sacerdos cantat tres primos Verſus Pſalmi 67.

Exurgat Deus, & diſſipentur inimici eius: & fugiant eum, qui oderunt eum, à facie eius.

Sicut deficit fumus, deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis.

Sic pereant peccatores à facie Dei: & iuſti delectentur in lætitia.

Et ſingulis Verſibus Chorus intercinit Troparium, *Chriſtus reſurrexit*, &c. Quo tertiò repetito, Sacerdos maiori contentione vocis ſolus cantat, *Chriſtus reſurrexit ex mortuis, morte mortem conculcans*: & ſtatim appoſita manu fores aperiens, ingreditur Eccleſiam, præeuntibus, vt ſuprà, lampadibus, & ſubſequentibus Præpoſito ac cæteris Clericis, ſuccinentibus interea Verſum, *Et ijs qui in monumentis erant vitam largiens*: pergenſque in Sacrarium facit magnam Synapten, incenſat, & tandem, poſt multa Cantica vario ordine repetita, dicit, quaſi imitans S. Gregorij vocem: *Dies reſurrectionis; Exultemus populi. Paſcha Domini, Paſcha: Ex morte enim ad vitam, & ex terra ad ce-*

lum, Chriſtus Deus nos traduxit. Expurgemus ſenſus, & aſpiciamus lucem inacceſſibilem Reſurrectionis, Chriſtum velut fulgur micantem, & gaudeamus. Deinde, multis aliis interpoſitis Hymnis, longo interuallo tandem exclamat. *Paſcha iucundum, Paſcha Domini, Paſcha omni ratione venerandum nobis illuxit: Paſcha in gaudio; inuicem deoſculemur: ò Paſcha, cuius pretio ſoluta eſt triſtitia. Etenim ex ſepulcro, quaſi ex thalamo, eluxiſti. Chriſtus mulieres gaudio impleuit, dicens: Nuntiate Apoſtolis.* Et ſtatim. *Dies Reſurrectionis. Exultemus in hoc celebri Feſto, & inuicem deoſculemur, & ijs qui oderunt nos condonemus omnia, in gratiam Reſurrectionis, & ſic clamemus: Chriſtus reſurrexit ex mortuis, morte mortem conculcans, & ijs qui in monumentis erant vitam largiens.* Ac ſubinde idem ſæpius repetitur à Choro, tamdiu ſcilicet dum peragitur ſalutatio fraterni oſculi: quod fit hoc modo. Accipit Sacerdos ſanctum Euangelium, & ſtat ante fores Sacrarij. Tum accedit Præpoſitus, &, oſculato primùm Euangelio, deinde ipſo Sacerdote, de eius manu accipit Euangelium, & ſtat illud tenens ad eiuſdem dexteram. Tum cæteri ordine accedentes, ſinguli oſculantur, primùm Euangelium, deinde

deinde Sacerdotem, & Præpoſitum: ac poſtremò omnes ſibi inuicem fraternæ charitatis oſculum impertiunt. Apud Codinum loco citato, in Proceſſione Paſchali, Imperator lampadem geſtat, proceres verò aulici cereos ardentes: &, matutinis Laudibus peractis, Protopapa & Archidiacono in veſtibulo Sacrarij ſtantibus, altero Euangelium, altero crucem portante, idem Imperator accedens oſculatur, primò Euangelium, deinde Protopapam, poſtea crucem, & Archidiaconum. Scribit etiam idem Auctor, apud Græcos pleriſque in locis aperiendo fores Eccleſiæ pronuntiari à Sacerdote verba illa è Pſalmo 23. *Attollite portas, principes, veſtras*, &c. ſicut moris eſt apud nos fieri in Proceſſione Palmarum, & in Dedicatione Eccleſiæ.

In Eccleſia Andegauenſi celebratur hoc myſterium finito tertio Reſponſorio Matutini, hoc modo. Paratur Altare maius vice monumenti Chriſti, velis ſuprà & ab anteriori parte obtentis, quaſi tabernaculum extemporaneum. Adhærent Altari duo maiores Capellani, ſuperpellicio & cappa candida induti, alter ad cornu dextrum, alter ad ſiniſtrum, qui repræſentent Angelos ad monumentum

ſedentes. Tum procedunt à Secretario duo Corbicularij, alba & dalmatica candida ornati, capite amictu circumtecto, ſed amictui ſuperinducta mitella purpurea, mulieres ad monumentum venientes exhibituri, præcedentibus duobus pueris ſymphoniacis cum thuribulis. Hi, vbi in aditu Altaris conſtiterint, illi canentes interrogant: *Quem quæritis in ſepulcro?* Reſpondent hi, ſimiliter canentes: *Ieſum Nazarenum crucifixum.* Tum illi: *Non eſt hic: ſurrexit, ſicut prædixerat. Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus.* Hoc audito, Corbicularii, introeunt in monumentum, & illud venerantur, oſculantes Altare in medio, quaſi Dominum ſuum, cuius deſiderio venerant, præ ſuauitate amoris baſiantes: atque interea duo pueri Altare terno ductu incenſant. Tunc Capellani: *Ite, nuntiate diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Ad hanc vocem Corbicularii pergunt in Chorum, præcedentibus duobus pueris, cantantes elata voce: *Alleluia. Reſurrexit Dominus hodie, reſurrexit leo fortis, Chriſtus filius Dei.* Quibus vna voce reſpondet omnis Chorus: *Deo gratias; dicite, eia.* Interea verò duo illi Corbicularii accedentes ad Epiſcopum, facta reuerentia, eum oſculo

ſalutant, ſubmiſſa voce quaſi in aurem dicentes: *Reſurrexit Dominus, Alleluia.* Quibus reſpondet Epiſcopus oſculum reddens: *Deo gratias, Alleluia.* Et ſtatim præ lætitia in iubilum erumpens, intonat Hymnum, *Te Deum laudamus*, duobus pueris interea thus ei adolentibus. Deinde ambo Corbicularii ſimul procedentes, Cantori ſuo loco ſtanti eumdem nuntium perferunt, oſculúmque libant: atque inde diſcedentes, alter ad dextram; alter ad ſiniſtram partem Chori, aliis Dignitatibus, & Canonicis, cæteriſque in Choro verſantibus per ordinem, eadem verba inſinuant, addito oſculo, & pueris ad ſingulos incenſum mittentibus. Reſpondent verò etiam ſinguli, oſculum oſculo reddentes: *Deo gratias*; *Alleluia*, quod eſt iuxta ritum Ambroſianum.

In Eccleſia Sueſſionenſi hæc denuntiatio Reſurrectionis fit quoque poſt tertium Reſponſorium Matutini: ſed illic ſepulcrum adornatur in capella quadam, poſito in Altari ſanctiſſimo Sacramento: quò procedit Clerus cum Epiſcopo, præeuntibus crucibus, cereis, & thymiamateriis, populo ciuitatis cum Magiſtratibus ſubſequente. Et, cantata è ſuperiore loco Antiphona de Reſurrectione; Cantor,

feſto habitû conſpicuus, interrogat tres Vicarios, ante fores clauſas ſtantes in albis: *Dic nobis, Maria, quid vidiſti in via?* Cui reſpondet vnus ex iis: *Sepulcrum Chriſti viuentis, & gloriam vidi reſurgentis.* Alter: *Angelicos teſtes, ſudarium, & veſtes.* Tertius: *Scimus Chriſtum ſurrexiſſe à mortuis verè.* Tum Cantor, conuerſus ad Chorum & populum: *Credendum eſt magis ſoli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci.* Hoc dicto, Epiſcopus, apertis foribus, ingreditur capellam, & ſanctiſſimum Sacramentum cum debito ornatu de Altari tollens, duobus Canonicis in albis latus tegentibus, incipit Hymnum, *Te Deum laudamus*: &, præeuntibus de more luminàribus, ſequente Clero ac populo, illud defert ad Altare maius, Eccleſiæ miniſtris ſolum per viam ſternentibus hedera & floribus. Depoſito in Altari Sacramento, quaſi Domino in conſpectum diſcipulorum ſuorum poſt reſurrectionem prodeunte, Epiſcopus illud genu flexo reuerenter adorat, & oſculum in ima parte hierothecæ figens ſurgit. Idem faciunt duo aſſiſtentes Canonici, Cantor, & reliquus Clerus ex ordine; ac poſtremò Magiſtratus, & populus circumſtans.

Aliter celebrari hunc ritum in quibuſdam Eccleſijs ſcribit Durandus lib. 6. Rationalis, c. 89. *In quibuſdam Eccleſijs* (inquit) *in his ſeptem diebus, duo in albis ſuperpellitiis incipiunt Reſponſorium, Hac dies: & in aliis quoſdam tropos retro Altare: quod repræſentat ſepulcrum, pro eo quòd corpus Ieſu in eo ſacramentaliter collocatur, & conſecratur: gerentes typum duorum Angelorum, qui ſtantes in ſepulcro, Chriſtum reſurrexiſſe retulerunt. Verba enim illa, Hac dies, &c. ad Reſurrectionis diem pertinere noſcuntur.* Et poſt pauca. *Fit autem hoc ad Laudes, & ad Tertiam, & Veſperas.* Et paulo inferiùs. *Fit etiam hoc in quibuſdam Eccleſijs ad Miſſam: eo quòd illa in Altari celebratur, ſuper quod Chriſti corpus conſecratur.*

Sunt in hoc ritu denuntiandæ Reſurrectionis tres potiſſimùm circumſtantiæ obſeruandæ.

Prima, qua monumentum ſepulcri Dominici in Altari repræſentatur. Id ſignificant Græci feria quinta magnæ hebdomadæ in ritu lauandi Altaris, vt habetur in Euchologio, vbi Altare vocant, τ̃ σωτηρίȣ τάφȣ τ̃ τύπον, *ſalutaris ſepulcri figuram*: & paulo inferiùs, Patriarcha ſolennem precationem faciens ante Altare,

dum illud poſt ablutionem ſacris pallis à circumſtantibus Sacerdotibus induitur, Chriſtum alloquitur his verbis: *Et ſiſtens nos* (huic Altari) *irreprehenſibiles & immaculatos, ad celebrandum tremendum ac diuinum ſacrificium viuificantis ſanguinis & corporis tui, quod, conciliandæ nobis immortalitatis cauſa, in ſepulcro depoſitum, & cum gloria tertio die reſurgens, fontem nobis inexhauſtum vitæ & immortalitatis præſtitit in ſanctiſſimo ſepulcro.* Germanus quoque Conſtantinopolitanus in Theoria rerum Eccleſiaſticarum: *Altare* (inquit) *eſt & dicitur præſepe, & ſepulcrum Domini.* Item Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo, capite de ſacra menſa, recenſens varia nomina Altaris, inter cætera dicit, illud appellari, *locum Dei, requiem, propitiatorium, magni ſacrificij officinam, Chriſti monumentum*: monumentum; quia Chriſti corpus in eo, quaſi in ſepulcro, conditum quieſcit. Et ob hanc cauſam in ritu Eccleſiæ Senonenſis ſanctiſſimum Sacramentum in Altari capellæ ſepulcri proponitur: & c. *Conſultò.* de conſecr. diſt. 1. Corporale, quod corpori Domini in ſacrificio ſupponi ſolet, dicitur ſupplere vicem ſindonis mundæ, qua illud à Ioſepho & Nicodemo inuolutum

fuit. Quodquidem latiùs explicat S. Iſidorus Peluſiota, Epiſt.123.libri 1.his verbis. *Pura illa ſindon, quæ in diuinorum donorum miniſterio ſubÿci ſolet, Ioſephi Arimathenſis eſt miniſterium. Vt enim ille Domini corpus ſindone inuolutum in ſepulcrum demiſit, per quod vniuerſum genus noſtrum reſurrectionis fructum percepit: ſic & nos propoſitionis panem in ſindone conſecrantes, Chriſti corpus ſine dubitatione reperimus, illam nobis immortalitatem ad inſtar fontis proferens, quam Ieſus Saluator, à Ioſepho quidem funere elatus, ſed ex mortuis reſurgens, largitus eſt.* Quibus ſimilia ſcribit Germanus Conſtantinopolitanus loco citato,& Beda c.44. in Marcum.

Idem monumentum repræſentatur clauſum, velis vndique oppanſis in Eccleſia noſtra, in Senonenſi autem foribus capellæ obſeratis: quodquidem reſpectum habet ad formam & ſitum Dominici ſepulcri, de quo ſic Brocardus in Deſcriptione terræ Sanctæ. *Spelunca ſepulcrum Domini continens habet in longum aliquot pedes; foris quidem marmore tecta, intùs verò adhuc nuda conſpicitur, ſicut tempore paſſionis fuit. Oſtium, quod ducit in hanc ſpeluncam, ponitur ab Oriente, & eſt valdè paruum. Et, cùm ingreſſus fueris ſpe-*

luncam, ſepulcrum ponitur ad dextram, hoc eſt, ad parietem ſpeluncæ Septentrionalem, factum de marmore griſei coloris; habens in longitudine octo pedes, ſicut & ſpelunca ipſa. Nec eſt in crypta illa lumen aliquod cæleſte, ſed lampades aliquæ accenſæ reddunt eam illuſtrem. Et nota, quòd ante ſpeluncam Dominici ſepulcri eſt alia crypta eiuſdem magnitudinis & figuræ, ſolo pariete intermedio à priori ſegregata. Et ad hanc primò deſcenditur, deinde per oſtium intermedij parietis venitur in ſpeluncam Dominici ſepulcri. Et oſtium illud fuit clauſum, quando mulieres tempore Reſurrectionis Dominicæ dicebant: Quis nobis reuoluet lapidem ab oſtio monumenti? Sanctus quoque Auguſtinus libro 3. de conſenſu Euangeliſtarum, c. 24. probabiliter exiſtimat, ante ſpeluncam ſepulcri fuiſſe ſeptum aliquod maceria munitum. Sed aſſeueranter & diſertè S. Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi 14. *Et vnde reſurget Saluator? Dicit in Canticis canticorum: Surge, propera amica mea: & in ſequentibus: In foraminibus petræ. Foramen petræ dicit id, quod tunc ante oſtium Saluatoris monumenti erat foramen ex eadem petra, ſicut hîc ſolet eſſe ante monumenta exciſum. Nunc enim non apparet, quoniam eraſum eſt veſtibulum propter præſen-*

tem ornatum. Nam ante regalem hunc ornatum & apparatum ſepulcri, veſtibulum erat ante petram. Ita in Senonenſi ritu capella clauſa vicem maceriæ circùm exſtructæ, Altare cum Sacramento locum ſepulcri refert. Ex quibus clarum eſt, licèt ſepulcrum Domini apertum eſſet cùm eò venerunt mulieres, euoluto lapide qui interioris ſpeluncæ meatui appoſitus fuerat; nihil tamen obſtare quin aditus ſpeluncæ prioris, quæ pertrãſeunda erat, obdito oſtio clauſus eſſet, quod vulgò creditur. Et hoc eſt conſentaneum diligentiæ Iudæorum, qui, ne qua vis per noctem pararetur ad auferendum corpus Chriſti, milites ſepulcro cuſtodes adhibuerunt, & ſaxum ei ſuperpoſitum obſignauerunt, vt ſcribit S. Matthæus c. 27. probabile eſt eos quoque & oſtium aditus in ſpeluncam occluſiſſe, ne quis introrſum penetrare poſſet.

Aliò pertinent fores templi clauſæ in ritu Græcorum, quæ manum admouente Sacerdote aperiuntur: nempe ad virtutem Reſurrectionis Chriſti, qui conditus in ſepulcro, cùm ſub mortis imperio captiuus eſſe videretur, quaſi perruptis portis & repagulis Inferni, tertiò die liber in vitam rediit, iuxta id quod in Sabbato

ſancto publicè ab Eccleſia canitur: *Hodie portas mortis, & ſeras pariter Saluator noſter diſrupit*. Hoc egregiè explicat S. Gregorius magnus Homilia 21. in Euangelia, his verbis. *Et, quem gaudebat occiſum, dolet mortuum: quia hunc ad ſuam gloriam cognoſcit perueniſſe per pœnam. Quod benè in libro Iudicum Samſon illius facta ſignificant: qui cùm Gazam ciuitatem Philiſtinorum fuiſſet ingreſſus, Philiſtæi ingreſſum eius protinus cognoſcentes, ciuitatem repentè obſidionibus circumdederunt, cuſtodes deputauerunt, & Samſon fortiſſimum ſe iam comprehendiſſe gauiſi ſunt. Sed, quid Samſon fecit, agnouimus. Media nocte portas ciuitatis abſtulit, & montis verticem aſcendit: Quem, fratres chariſſimi, hoc in facto, quem, niſi Redemptorem noſtrum, Samſon ille ſignificat? Quid Gaza ciuitas, niſi Infernum deſignat? Quid per Philiſtæos, niſi Iudæorum perfidia, demonſtratur? qui, cùm mortuum Dominum viderent, eiúſque corpus in ſepulcro iam poſitum, cuſtodes illicò deputauerunt, & eum, qui auctor vitæ claruerat, in Inferni clauſtris retentum, quaſi Samſonem in Gaza, ſe deprehendiſſe lætati ſunt. Samſon verò media nocte non ſolùm exiit, ſed etiam portas tulit: quia videlicet Redemptor noſter ante lucem reſurgens, non*

ſolùm liber de Inferno exijt, ſed ipſa etiam Inferni clauſtra deſtruxit. Portas tulit, & montis verticem ſubijt: quia reſurgendo clauſtra Inferni abſtulit, & aſcendendo cælorum regna penetrauit. Poteſt eſſe alia interpretatio, quòd Chriſtus, laxatis portis Inferorum, limbum ſeu ſinum Abrahæ ingreſſus, patres & iuſtos aduentum ſuum expectantes inde eduxerit. Et hanc eſſe mentem Græcæ Eccleſiæ in ritu ſuo patet ex Pentecoſtario in hoc Hymno Paſchali: *Deſcendiſti, Chriſte, ad ima terræ, & perfractis vectibus æternis, qui vinctos continebant, tertio die, vt Ionas ex ceto, ita ex ſepulcro exſurrexiſti.* Et inferiùs in alio Cantico: *Patuerunt tibi, Domine, præ metu portæ mortis: Ianitores inferni videntes te expauerunt. Nam portas æreas confregiſti, & vectes ferreos contriuiſti: & eduxiſti nos è tenebris & vmbra mortis, & vincula noſtra dirupiſti.* Cui interpretationi licebit quoque tertiam adiungere, de apertione Paradiſi. Vtramque his verbis complexus eſt idem Gregorius Homilia 22. in Euangelia. *Hac feſtiuitas rectè dici poteſt Solennitas ſolennitatum. Ex hac quippe ſolennitate exemplum, nobis reſurrectionis datum eſt, ſpes cœleſtis patriæ aperta, & facta ſuperni regni iamiam præ-*

ſumptibilis gloria. Per hanc electi, qui, quamuis in tranquillitatis ſinu, tamen apud Inferni clauſtra tenebantur, ad paradiſi amœna reducti ſunt. Quod ante paſſionem dixit, in Reſurrectione ſua Dominus impleuit: Si exaltatus fuero, inquit, à terra, omnia traham ad me. Omnia etenim traxit, qui de electis ſuis apud Inferos nullum reliquit. Omnia abſtulit, vtique electa. Neque etenim infideles quoſque, & pro ſuis criminibus æternis ſupplicijs deditos, ad veniam Dominus reſurgendo reparauit: ſed illos ex Inferni clauſtris rapuit, quos ſuos in fide & actibus recognouit. Quæ doctrina clariùs intelligetur ex alia eiuſdem Gregorij ſententia, libri 4. Moralium c. 27. *Priùs autem quàm Redemptor noſter morte ſua humani generis pœnam ſolueret, eos etiam, qui cæleſtis patriæ vias ſectati ſunt, poſt egreſſum carnis Inferni clauſtra tenuerunt: non vt pœna quaſi peccatores plecteret, ſed vt eos in locis remotioribus quieſcentes, quia nec dum interceſſio Mediatoris aduenerat, ab ingreſſu regni reatus primæ culpæ prohiberet. Vnde, iuxta eiuſdem Redemptoris noſtri teſtimonium, diues, qui apud inferos torquetur, in ſinu Abrahæ requieſcere Lazarum contemplatur.*

Secunda circumſtantia eſt vſus lumi-

num. Soliti enim ſunt priſci Chriſtiani diem feſtum Paſchæ, & nocturnum Officium Sabbati eius, frequentibus luminaribus & cereis accenſis celebrare. Vnde in Pentecoſtario Græcorum canitur in nocte Paſchæ: *Quàm verè ſacra, & omni ſolennitate celebris, nox hæc ſalutaris, & clariſſima luce ſplendeſcens, diei lucifera prænuntia, in qua lumen æternum ex ſepulcro corporaliter omnibus illuxit.* Iuſtinus Martyr Epiſtola ad Diognetum, in fine: *Et Dòmini Paſcha progreditur, & cerei coguntur.* Luculentiùs more ſuo Gregorius Nazianzenus Oratione 19. vbi de morbo patris ſui loquitur. *Morbi tempus erat* (inquit) *ſanctum & celebre Paſcha, dies regina dierum, ac ſplendida illa nox peccati tenebras ſoluens, in qua nos, cum magna luminis copia, ſalutis noſtræ Feſtum celebramus, atque cum luce propter nos mortua morte ſimul affecti, cum eodem quoque reſurgente reſurgimus.* Et Oratione 42. *Præclara quidem nobis quoque fuit heſterna facium ac luminum geſtatio, quam priuatim iuxtà publicéque peregimus; omne genus hominum fermè, atque omnes magiſtratu & dignitate inſignes, largo igne noctem colluſtrantes.* Et poſt pauca. *At hodierna præclarior & excellentior. Nam heſternum lu-*

men magni illius luminis exurgentis prænuntium erat, ac veluti profeſta quædam animorum lætitia. Hodie autem ipſam Reſurrectionem celebramus, non quidem in ſpe poſitam, ſed iam ortam, mundúmque totum ſibi conciliantem. In quem locum Nicetas ſic commentatur. *Præclara, inquit, etiam fuit heſterna luminum celebritas, hoc eſt, cætus ille, qui ad veſperam magni Sabbati celebrabatur. Peruigilem enim noctem traducebant vſque ad horam ſeptimam; cantantes, ac lampades accendentes, atque imminentem Seruatoris noſtri Reſurrectionem expectantes.* Et adhunc ritum referendum eſt id quod ſupra c. 13. protulimus ex Euſebio, de columnis cereis tota vrbe accenſis in nocte Paſchali. Ratio eius rei affertur, quia lux eſt vitæ & reſurrectionis ſymbolum. Quam ob cauſam accendi ſolent lampades & cerei ad Reliquias Sanctorum, vt iam olim proditum eſt à S. Hieronymo Epiſtola ad Riparium, Theodoreto lib. 5. Hiſtoriæ Eccleſ. c. 36. Paulino Nolano in Natali tertio S. Felicis, & aliis: & ſimiliter in funeribus mortuorum. Quo ſymbolo ſignificatur, animas eorum, qui è corporibus diſceſſerunt, viuere, & corpora ipſa tandem aliquando in vitam immortalem eſſe reſur-

rectura, & lucem denuò aſpectura. In Pentecoſtario is ritus Proceſſionis ſic explicatur. *Prodeamus cum lampadibus obuiam Chriſto, ex monumento prodeunti, tanquam ſponſo, & ſimul cum Ordinibus Angelorum, hac ſolennitate lætantibus, feſtum agamus.*

Tertia circumſtantia eſt oſculum. Mos hic viguit ab ipſis Eccleſiæ primordiis inter Chriſtianos, vt, ad indicandum ſincerum charitatis affectum, quo ſe omnes inuicem in Chriſto proſequuntur, oſculis mutuis, ſeu aduenientes, ſeu orantes, ſeu communicantes, ſeu ſacra myſteria celebrantes, alij alios conſalutarent, dicendo, *Pax tibi*, ſeu, *Pax vobis.* De oſculo inter ſacra & preces Cyrillus Ieroſolymitanus Catecheſi myſtagogica 5. *Deinde* (poſtquam Sacerdos manus abluit, & antequam dicat, *Surſum corda*) *clamat Diaconus: Complectimini & oſculamini inuicem: atque tunc mutua inter nos libamus oſcula. Non hoc ita accipias, quaſi oſculum illud ſit eiuſcemodi, quale in foro inter communes amicos eſſe conſueuit. Neque enim tale eſt: ſed animos mutuò conciliat, & omnem inter ipſos iniuriarum obliuionem ſpondet. Significat igitur oſculum, animos velut commiſceri & contemperari inter ſe, & omnem iniu-*

riarum recordationem ablegari. Propterea Chriſtus dicebat (Matth.5.) *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te; relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuum. Igitur oſculum hoc reconciliatio eſt, atque idcirco ſanctum, vt alicubi* (2.Corinth.13.) *beatus Paulus clamabat, dicens. Salutate inuicem in oſculo ſancto: & Petrus* (Epiſt.1.c.5.) *in oſculo charitatis.* Sic S. Auguſtinus Serm. 83. de diuerſis (qui eſt in die ſancto Paſchæ) alloquens pueros pridie baptizatos: *Ecce, vbi eſt peracta ſanctificatio, dicimus Orationem Dominicam, quam accepiſtis & reddidiſtis. Poſt ipſam, dicitur, Pax vobiſcum: & oſculantur ſe Chriſtiani in oſculo ſancto, quod eſt ſignum pacis; ſi, quod oſtendunt labia, fiat in conſcientia; id eſt, quomodo labia tua ad labia fratris tui accedunt, ſic cor tuum à corde eius non recedat.* Sanctus Iuſtinus Martyr, Apolog. 2. *Finitis orationibus, nos inuicem oſculis ſalutamus.* Hinc eleganter Tertullianus, libro de Oratione, c. 14. *oſculum pacis* vocauit *ſignaculum orationis.* Iuxta hunc morem, in Ordine Romano, c. *Qualiter agatur.* vbi agitur de dimittenda Synodo prouinciali, ſic ſtatuitur;

ſtatuitur: *Quibus expletis, dum dictum fuerit ab Archidiacono, In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti eamus cum pace: omnes illicò, ab ipſo primùm incipientes Epiſcopo, oſculum ſibi inuicem dabunt. Sicque, data ſibi inuicem pace, conuentus Concilij abſoluetur.* Idem habetur in Ordine celebrandi Concilij, qui præfixus eſt tomo primo Conciliorum. De oſculo, quo aduenientes amici, fratres, & hoſpites excipiuntur, S. Hieronymus in vita Pauli eremitæ, c. 8. & Paphnutius in vita S. Onuphrij, c. 8. Sed admiratione dignum eſt exemplum charitatis Abbatis Hagioduli: qui cùm vehementer doleret vnum ex fratribus ſui Monaſterij inſalutatum ad Dominum abiiſſe, mortuum compellauit, vt rediret in vitam, ad recipiendum oſculum pacis. Rem ſic narrat Ioannes Moſchus in Prato ſpirituali, c.11. *Cùm is eſſet Antiſtes dux Monaſterij beati Geraſimi, contigit fratrem quendam de illic reſidentibus mori. Quod cùm ſenex ignoraret, pulſarétque Præfectus canonis lignum, quòd fratres conuenientes mortuum efferrent: vt vidit ſenex cadauer in Eccleſiæ medio iacere, contriſtatus eſt valdè, quòd non illum ſalutâſſet, priúſquam migraret è ſæculo. Profectúſque ſecus lectulum vbi iacebat, ait defuncto: Surge frater,*

& da mihi oſculum. Qui protinus ſurgens oſculatus eſt ſenem. Tum dixit ſenex: Dormi iam, quouſque veniat Chriſtus filius Dei, & reſuſcitet te.

Fuit igitur, dum charitas feruebat, oſculum inter Chriſtianos commune ſymbolum & pignus mutuæ dilectionis & pacis: ſed præcipuè in Feſto Paſchæ, quo erat communicandum corpori & ſanguini Domini, qui eſt pax noſtra: vt, odiis & ſimultatibus poſitis, animi inuicem reconciliarentur; &, vt loquitur Auguſtinus, corde ad cor accedente, omnes vnum fierent corpus, qui omnes de vno pane & de vno calice erant participaturi. Hoc diſcrimen eſt inter exempla ſuperiùs propoſita, quòd in Senonenſi ſoli Chriſto in ſanctiſſimo Sacramento oſculum datur: in Græco & Andegauenſi, fratres oſcula viciſſim inter ſe accipiunt reddúntque. Apud Græcos tamen eſt aliquid quod videri poſſint Senonenſes in ritu ſuo æmulari voluiſſe. Nam ſingulis diebus hebdomadæ Paſchalis, quam illi vocant τὴν διακαινήσιμον, id eſt, *hebdomadam renouationis*, in conuentu Eccleſiæ, Cellarites ſanctiſſimum Chriſti corpus paulùm è patena ſublatum populo oſtentat, dicens, *Chriſtus ſurrexit*: deinde poſt-

quam reſponſum eſt à Choro, *Verè ſurrexit*, producit cum Sacramento ſignum crucis, dicens, *Veneremur ipſius triduanam Reſurrectionem*: Clerus verò ter canit, *Chriſtus reſurrexit*: & omnes oſculantur Sacramentum, ter repetendo eumdem Verſum, *Chriſtus reſurrexit*. Sed probabilius eſt, Senonenſes in proſtratione illa ſua coram ſanctiſſimo Sacramento, & adoratione oſculi, exprimere voluiſſe id quod de mulieribus ſcriptum eſt à S.Matthæo c.28. *Et exierunt citò de monumento, cum timore & gaudio magno, currentes nuntiare diſcipulis eius. Et ecce Ieſus occurrit illis, dicens: Auete. Illæ autem acceſſerunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum*: id eſt, pedibus Domini aduolutæ, eum deueneratæ ſunt. Et voluiſſe Mariam Magdalenam in illa adoratione Saluatoris pedes eius amplecti & deoſculari, conijcere eſt ex capite 20. S. Ioannis, vbi cùm illa Dominum prope monumentum apparentem ex affatu agnouiſſet, & præ gaudio quaſi in amplexum eius irrueret, impetum amoris mulierculæ repreſſit Dominus, dicens, *Noli me tangere*. Fuiſſe autem in more apud Iudæos, vt mulieres ad pedes eorum acciderēt, quos

venerari & adprecari vellent, ipſóſque pedes apprehenderent, patet, tum ex c. 4. lib. 4. Regum, vbi vidua Sunamitis, ſalutans Elizæum, *apprehendit pedes eius*: tum etiam ex c. 7. Lucæ, vbi eadem Maria ſtans retrò ſecus pedes Domini, eos oſculabatur. In Ecclèſia Andegauenſi ſeruatur hoc in ritu ordò præcepti charitatis, quæ Deum primò, vt præcipuum obiectum, reſpicit; deinde ad proximum extenditur, quem propter Deum debemus diligere. Itaque, ſicut in Miſſæ ſacrificio Sacerdos, priuſquam populo religioſæ ſalutationis officium impertiat, Chriſtum Dominum Altaris oſculo venerari ſolet, eíque ſummi amoris ſponſionem obſignare: ita hîc, priuſquam pacis & reconciliationis oſculum inter fratres diuidatur, ab oſculo Altaris, id eſt, Chriſti, ſumitur initium: vt intelligant omnes, mutui amoris legem ſibi ab amore Dei eſſe accipiendam. Et additur oſculis communicatio thuris ſacerdotali benedictione ſanctificati: vt indicetur, omnem dilectionis Chriſtianæ fructum & ſuauitatem à Dei benedictione proficiſci; & efficaciſſimam conciliandorum inter ſe animorum illecebram eſſe, vt quiſque proximo ſuo gratum benignæ & officioſæ conuer-

fationis odorem affundat, eúmque ſalutaribus exemplis in ſpiritu ædificet.

De Proceſsione matutina ante Miſſam, in die Paſchæ.

CAPVT XV.

IN Officio diei Paſchæ, præter annuntiationem Reſurrectionis è monumento, de qua egimus capite ſuperiori, duplex eſt alia proceſſio: altera matutina, altera veſpertina.

Matutina, iuxta Ordinem Romanum, celebratur poſt Tertiam, ante Miſſam, in memoriam profectionis ſanctarum mulierum ad monumentum, & à monumento ad Apoſtolos congregatos in Ieruſalem, vt eis, iuxta Angeli mandatum, denuntiarent Dominum reſurrexiſſe, & in Galilæam præceſſurum, vt illuc pergentes eius viuentis aſpectu & alloquio fruerentur. Quare in ea proceſſione cantatur Reſponſorium, *Cùm tranſiſſet Sabbatum*, quod rei geſtæ hiſtoriam continet ex S. Marco. De hac proceſſione ſic Ordo Romanus. *Die ſancto Paſchæ, induti ſolen-*

niſſimis veſtimentis omnes Clerici, conuenientes ad ſtationem ad ſanctam Mariam maiorem, primitùs cantent Tertiam. Qua finita, reſperſi aqua ſancta, quæ pridie collecta eſt de Fonte, tam ipſi quàm & omnis populus, procedunt cum omni decore, cum crucibus & thymiamaterijs, præcedentibus etiam ſanctis Euangelijs, cantantes Antiphonas proceſſionales, &c. De myſterio autem eiuſdem proceſſionis, Rupertus lib. 7. de diuin. Offic. c. 20. & 21. in hæc verba. *Cum crucibus & vexillis, quæ ſunt inſignia victoriæ Chriſti, omnes albati, & exultantes in laude Reſurrectionis ſanctæ, procedimus cum tanta populi expectatione ſexus vtriuſque, maiorum pariter & minorum, vt corporaliter quoque illud propheticum in nobis impleri videatur, Cum iucunditate exibitis, & cum gaudio deduceminis nam & montes & colles exilient, expectantes vos cum gaudio. Vt autem proceſſio ageretur, ex myſtica Euangelij auctoritate tractum eſt, ſcilicet ex eo quod Angeli mulieribus præcipiunt, dicentes, Ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam: & ipſe Dominus, occurrens illis exeuntibus à monumento, cùm tenuiſſent pedes eius, & adoraſſent eum, Ite, inquit, nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi*

me videbunt. Et c. 24. *Sicque ſit, vt tota hæc proceſſio nihil aliud quàm gratiarum actio ſit: eo quòd reſurgens Dominus, ſtatim memor noſtri, qui eramus abſque Deo, diſcipulos ſuos in Galilæam ad hoc conſilium euocauit, vt baptizarentur in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Vnde locum quoque, quò ſuprema ſtatione* (extra Eccleſiam) *proceſſionem terminamus, nos Galilæam nominamus.*

Iuxta Ordinem Romanum ſtatio eſt ad ſanctam Mariam maiorem, & imitatione Eccleſiæ Romanæ in multis Eccleſiis proceſſio hæc matutina vadit primò ad Altare ſeu Oratorium Sanctæ Mariæ: quòd ei credâtur Chriſtus ante omnes apparuiſſe, ſicut ſcribit S. Ambroſius lib. 3. de Virginibus: *Vidit*, inquit, *Maria reſurrectionem Domini, & prima vidit, & credidit*: quanquam nonnulli contendunt, non de Maria Deipara, ſed de altera Maria, quæ cùm Maria Magdalena iuit ad monumentum, hæc Ambroſij verba eſſe intelligenda. Sed Græci id diſertè profitentur in Pentecoſtario hac die: καὶ πρῶτον μὲν ἡ ἀνάςασις τῇ τοῦ θεοῦ μητρὶ γνώριμος γίνεται, id eſt, *& primùm reſurrectio Dei matri manifeſtatur.* Hoc myſterium egregiè obſeruauit idem Rupertus

eiuſdem libri c. 25. *Quid*, inquit, *Euangelicæ fidei conuenientius Chriſtiana ſedulitas comminiſci potuit? quid pulchrius, quid venerabilius, quàm congratulari Matri Virgini ſuper reſurrectione Vnigeniti iam non morituri; in cuius paſsione gladius animam eius pertranſiuit? Perpendere geſtit Chriſtiana deuotio, quantus torrens gaudij repentè inundans, locúmque vulneris replens, animam eius ferro doloris confoſſam inebriauit, cùm rediuiuus filius illi, ante omnes fortaſſe mortales, materno Virginem non defraudans honore, victoriam ſuam annuntiauit, & dulcia carnis ſuæ vulnera, quam illa veram de carne ſua carnem conceptam peperit, deoſculanda præbuit.* Et paulò inferiùs: *Igitur pulchrè & laudabiliter traditum eſt à noſtris maioribus, vt in hodierna, cunctiſque per annum Dominicalibus proceſsionibus, Beatæ Dei genitricis memoriam prima ſtatione viſitemus, eamdem ob cauſam, qua in hodiernæ Miſſæ Officio ſtatio ad Sanctam Mariam præſcribitur; vt eam principio lætitiæ noſtræ proponamus.* Quibus ſimilia ſcribit Durandus lib. 4. Rational. c. 6. Hæc cauſa eſt cur tam frequenter in hoc Feſto, & toto tempore Paſchali, cantetur Antiphona, *Regina cæli.*

In reditu proceſſionis ſtatiò fit ante

Crucifixum, cantando Reſponſorium, *Sedit Angelus*, iuxta eumdem Ordinem Romanum, & Durandum. Cuius rei rationem ita explicat idem Rupertus eodem c. 24. *Huius diei ſtatio, qua proceſſio terminanda eſt, in medio templi ſplendidè ordinata, rem ipſam, de qua dictum eſt, pulchrè commendat, dum ſacer Eccleſiæ Chorus totus feſtiuus, ſexus vtriuſque populo circumſtante, totis viribus in vocem exultationis & ſolutis feliciter erumpit, cantando Antiphonam, Sedit Angelus ad ſepulcrum Domini. Hæc enim Antiphona rem ipſam patenter exprimit, quam perdocere omnes gentes iuſſi ſunt Apoſtoli, ſcilicet quòd Deus homo factus mortem noſtram moriendo deuicit, & vitam nobis reſurgendo reparauit:* Et ſtatim. *Hæc ſtatio nobis illud feſtiuo concentu commemorat, quòd in Galilæa iuſſi à Creatore ſuo cœli enarrauerunt gloriam Dei, gloriam Reſurrectionis Chriſti, ſicut legimus, quia virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium Reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini noſtri.* Apoſtolos autem prædicantes mundo gloriam reſurrectionis in hac ſtatione repræſentant in Eccleſia Andegauenſi ſeni Sacerdotes, qui progreſſi ante Crucifixum cantant verſum, *Crucifixum in carne laudate*, &c. *Quod*

ideo (ait eodem loco Rupertus) *totis viribus eſt concinendum, & toto corde, totòque ore, in auditu populorum circumſtantium efferendum; quia in omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

Huic proceſſioni præmittitur luſtralis aſperſio, in memoriam Baptiſmi, quo primùm expiari oportet eos qui accedunt ad Deum, *aſperſos corda à conſcientiâ mala, & ablutos corpus aqua munda*, vt loquitur Paulus Hebr. 10. Vnde in ea adhibetur aqua, non vulgari benedictione ſanctificata, ſed hauſta ex Fonte baptiſmali; & canitur Antiphona, *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro*, ex Ezechiel. c. 47. ſignificans Baptiſmi Sacramentum ex latere Chriſti ad ſalutem hominum emanâſſe.

Proceſſiones quæ fiunt in Ferijs Paſchalibus, pertinent ad idem myſterium Reſurrectionis Domini, & profectionis in Galilæam.

Digitized by Google

De Proceſsione ad Fontes, in Veſperis Paſchæ.

CAPVT XVI.

EX antiquo Eccleſiæ Romanæ vſu habemus, vt hac die, & conſequentibus diebus vſque ad Sabbatum, Veſperarum Officium in tres partes diuidamus, &, tribus duntaxat Pſalmis in Choro decantatis, cum Graduali, Verſu, *Alleluia*, & melodiâ ſeu Proſâ, completa Oratione poſt, *Magnificat*, procedamus ad Fontes, reliquos Pſalmos cantaturi. Ita enim habent, Ordo Romanus in Officio huius diei, Alcuinus lib. de diuin. Offic. Amalarius lib. de ordine Antiphonarij c. 52. Rupertus lib. 8. c. 2. Honorius in Gemma animæ, lib. 3. c. 129. & Durandus in Rationali, lib. 6. c. 89. Et hæc eſt proceſſio veſpertina Paſchæ, quam idem Rupertus, eodem libro, c. 3. dicit eſſe *Pontificalem, & ad Paſtores plebium pertinentem*, qui ſcilicet habent baptiſmales Eccleſias. Cuius proceſſionis hæc ratio eſt, ex eodem Ruperto: quòd, cùm in veſpera

Sabbati Paſchalis (Officium enim eius ad noctem ſequentem pertinet, vt ſuprà notatum eſt, ideóque veſpertinum dicitur) Baptiſma ſolenni ritu celebratum fuerit, eadem hora per totam hebdomadam, qua ſolennitas Paſchalis agitur, Eccleſia feſtiuam regenerationis iucunditatem eodem ordine progreſſionis continuandam cenſuit. Feſtiua autem hæc celebritas compoſita eſt ad imitationem triumphi Iſraëlitarum poſt tranſitum maris rubri. Quemadmodum enim, Exodi c. 15. Moſe & Maria eius ſorore præeuntibus, Iſraëlitæ vtriuſque ſexus diuiſis choris, in litore maris carmen illud triumphale, *Cantemus Domino*, liberatori ſuo, in gratiarum actionem, tripudiantes & tympana pulſantes, cecinerunt: ita hîc Eccleſiaſtici chori, cum agmine puerorum pridie baptizatorum, ſeu Catechumenorum albis veſtibus indutorum, & cereos ardentes geſtantium, ad Fontem aquæ baptiſmalis procedunt, laudantes Deum de eductione ſua ex abyſſis peccati & mortis, & alternis modulationibus concinentes Pſalmum, *Laudate pueri Dominum*, & illum alium, *In exitu Iſraël de Ægypto*, in quo admirabilis ille tranſitus maris deſcribitur: quem

etiam Amalarius loco citato tradit in Romana Eccleſia ſæpius repeti, propter multiplicia Altaria illius loci ad quæ illa die fit ſtatio. Atque, vt Iſraëlitæ Deum in columna nubis venerabantur; ita hi Chriſtum liberatorem ſuum, & ſpiritualis reſurrectionis auctorem, in Cerei columna repræſentatum, adorant, & hymnis ſuis celebrant. Ea de cauſa Cereus Paſchalis quotidie in proceſſione hac præfertur, quaſi dux itineris & ſanctæ peregrinationis ad terram promiſſionis, id eſt, beatitudinem, vt notauit Alcuinus libro de diuin. Offic. c. de Sabbato in albis: *Octo dies neophytorum* (inquit) *curſum præſentis vitæ monſtrant. Sicut enim Hebraicus ille populus, tranſito mari rubro, columna ignis ſibi præcedente noctu, per omne iter in terram repromiſſionis triumphans de hoſtibus introijt: ita noſtri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidie ad Eccleſiam, columna Cerei illuminata præcedente eos. Vnde intelligitur, ad nullos alios vſus in quibuſlibet locis eam debere accendi, niſi in recordatione luminis Spiritus Sancti, dum itur ad Eccleſiam.* Et ſimiliter Amalarius lib. 1. de Eccleſiaſt. offic. c. 33. *Octo dies neophytorum curſum præſentis vitæ monſtrant. Sicut enim iter filiorum Iſraël, poſt-*

quàm tranſierunt mare rubrum, vſque ad terram repromiſſionis, ſignificat omnem curſum præſentis vitæ: ita & conuerſatio neophytorum omnem curſum præſentis vitæ, in quo nos oportet ſecundum Reſurrectionem Chriſti viuere: de quo curſu dicit Auguſtinus in libro contra Fauſtum duodecimo: Rubet in mari rubro Baptiſmus, vtique Chriſti ſanguine conſecratus; hoſtes ſequentes à tergo moriuntur; peccata præterita; ducitur populus per deſertum: baptizati omnes nondum perfruuntur promiſſa patria, ſed quod non vident ſperando, & per patientiam expectando, tamquam in deſerto ſunt: & illicò laborioſæ & periculoſæ tentationes, ne reuertantur corde in Ægyptum: nec ibi tamen Chriſtus deſerit, nam & illa columna non recedit. Secundum hæc verba baptizati noſtri ducuntur quotidie ad Eccleſiam. Columna Cerei illuminata præcedens eos, illuminata eſt iam: quia in corpus Chriſti traiecti ſunt baptizati, Spiritus Chriſti illuminat membra Chriſti. Et quidem conijcimus ex S. Ambroſio morem olim Eccleſiæ fuiſſe, vt parentes neophytos filios ſuos in hac proceſſione proſequerentur: quo fiebat vt longus eſſet ordo pompæ procedentis. Sic enim ille libro de myſterio Paſchæ, c. 5. *Hinc caſti*

patres, pudicæ matres, nouellam per fidem ſtirpem proſequuntur innumeram: hinc ſub fidei arbore, ab vtero fontis innocui, cereorum ſplendet ornatus. De feſtiuis autem cantibus ad Fontem, ita Rupertus eodem libro, c. 2. *Dicta Oratione, proceditur ad Fontes, cum Pſalmo, Laudate pueri Dominum:* & ſtatim: *Admonitio namque diuinæ laudis eſt ad pueros, id eſt, nouos Eccleſiæ filios, qui per baptiſmum pueri, id eſt, puri facti ſunt à vitijs:* & paucis interiectis: *Vnde nunc apud Fontes Eccleſia mater iubilans exultat, in laudem eius gratiæ, per quam meruit eſſe fons hortorum, puteus aquarum viuentium.* Quemadmodum verò Eccleſia quotidie per Octauam Paſchæ pro baptizatis orat in proceſſione ad Fontes; ita quotidie pro ijs commemorationem facit in Canone Miſſæ ad, *Hanc igitur*: imò in Ordine Ambroſiano quotidie habetur propria Miſſa pro baptizatis per totam hebdomadam.

Quòd autem in hac proceſſione Diaconus & Subdiaconus poſt Cereum Paſchalem incedunt, geſtantes manibus ampullas Chriſmatis & Olei ſancti, id pertinet ad renouandam fidelibus memoriam cauſæ ſanctificationis, quæ influxit in aquam ex infuſione gratiæ

Chriſti per Spiritum Sanctum, in admixtione Chriſmatis & Olei Catechumenorum: vela autem candida, quæ à capite geſtantium in ampullas porriguntur, ſunt ſindones illæ de albo ſerico, quibus Ordo Romanus præſcribit obtegi & inuolui eaſdem ampullas, quando offeruntur in die Cœnæ Domini, & earum partem reijci in humerum ſiniſtrum, vt inde pertingant ad dextrum humerum, & circumuolutæ ac dependentes poſſint retineri. Spectat etiam id ad myſterium Reſurrectionis, & ſignificat deuotionem piarum mulierum; quæ cum aromatibus ad monumentum Domini venerunt, vt eius corpus more gentis vngerent.

In reditu huius proceſſionis, iuxta Ordinem Romanum, ſtatio fit ante Crucifixum, cantando Reſponſorium, *Chriſtus reſurgens ex mortuis*: & ita Officij ſolennitas terminatur publica profeſſione fidei de veritate Reſurrectionis Chriſti, inſultando Iudæorum incredulitati, & eos inuitando ad eumdem, vt verè viuentem, adorandum cum Eccleſia; quod officium, vt in matutina ſtatione, apud nos præſtant ſelecti è Choro ſeni Sacerdotes, progreſſi in primam aciem. Et

hæc

hæc eſt tertia pars Veſperarum Paſchalium, iuxta diuiſionem Radulphi Tungrenſis in libro de Canonum obſeruantia, propoſ. 16. qui dicit B. Gregorium ita ordinâſſe Veſperas huius hebdomadę. Certè in eius Sacramentario hac die & reliquis per Octauam, præter feriam ſextam & Sabbatum, ponuntur in Officio veſpertino tres Orationes: prima ad Veſperas, ſecunda ad Fontes, tertia ad ſanctum Andream (vbi ſcilicet fit vltima ſtatio) in feria autem ſexta & Sabbato ſunt tantùm duæ, altera ad Veſperos, altera ad Fontes.

De Proceſſione ante Officium, in die Paſchæ, & alijs ſolennioribus Feſtis.

CAPVT XVII.

IN Ordine Romano, ſummo Pontifice rem diuinam faciente in die Paſchæ, hoc ritu proceditur ad Officium celebrandum. Primo manè omnis Clerus & populus conuenit in Eccleſiam Patriarchalem S. Ioannis Lateranenſis, exceptis

officialibus miniſtris, qui in obſequio Pontificis comitantur pro Pontificali dignitate, & illic expectant Pontificem. Eo autem accedente, Acolythi & Defenſores regionis illius cuius dies fuerit ad officium in obſequio, ex Eccleſia exeunt, & progreſſi ad locum ſtatutum, cum Presbytero & Manſionario tituli vbi ſtatio fuerit, thymiamateria deferentibus, ibi opperiuntur, & aduenientem excipiunt, inclinato capite thus in obſequium adolentes. Tum verò, petita & accepta benedictione, omnibus in vnum coeuntibus, diuiſis hinc inde partibus, ſuo quiſque ordine, per turmas præcedunt Pontificem ad Eccleſiam Sanctæ Mariæ maioris, in qua ſtatio eſt, & ibi Miſſa celebratur. Similiter fit in aliis diebus ſolennibus, mutando Eccleſias pro diuerſitate ſtationum: & huius rei exemplum habes apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Vita Leonis tertij, vbi *Collectam* vocat congregationem Cleri ac populi in Eccleſiam è qua proceſſura eſt ſupplicatio: vnde Orationes dictæ ſunt *Collectæ*, quæ ſuper collectum populum dicuntur in publico Eccleſiæ conuentu. Qua de re ſic Micrologus libro de Eccleſiaſt. obſeruat. c.3. *Illæ tamen Orationes ſpecialiùs Colle-*

cta vocari videntur, quæ apud Romanos ſuper Collectam populi fiunt, dum colligitur, vt procedat de vna Eccleſia in aliam, ad ſtationem faciendam: vt in capite Ieiunij illa Oratio, Concede quæſumus, apud Sanctam Anaſtaſiam ſupra Collectam populi dicitur, qui ſtationem apud Sanctam Sabinam celebraturus eſt. Idem ſcribunt, Radulphus Tungrenſis libro de Canonum obſeruantia, propoſ. 23. & Durandus Rational. libro 4. c. 15.

Ex hoc fonte originem ſumpſit antiqua inſtitutio Eccleſiæ Andegauenſis, in qua eodem die Paſchæ, Epiſcopo celebrante Officium, ſigno ad Tertiam dato, vniuerſus eiuſdem Clerus, cum cappis ſericis & omni alio ſplendidiore apparatu, ſolenni ordine procedit ad Capellam curatam S. Mauritij, præeuntibus Presbyteris Cardinalibus tredecim, id eſt, Rectoribus Eccleſiarum parochialium vrbanarum & ſuburbanarum cis Medunam, & ſeptem Diaconis, totidémque Subdiaconis, ac ſeptem cereis prælucentibus; & in aditu dictæ Capellæ expectat, donec ſe Epiſcopus veſtibus Pontificalibus induerit. Quo facto, eodem ordine rediens deducit Epiſcopum in Chorum ad celebrandum Officium, duobus pueris

ſymphoniacis, alba & tunica indutis, eum antegredientibus cum cereis accenſis, & cantantibus Hymnum Paſchalem; Clero autem alternis reſpondente Verſum intercalarem, *Salue feſta dies*: adeout canentibus pueris ſubſiſtat proceſſio, reſpondente autem Choro progrediatur. Qui ritus proceſſionis ſimiliter obſeruatur in Natiuitate Domini, & Feſto Sancti Mauritij.

Manè autem ad Matutinum, & poſt meridiem ad Veſperas eiuſdem Feſti Paſchæ, inſonante claſſico, proceſſio fit in palatium Epiſcopale, vbi expectat Epiſcopus in loco qui aula Cleri dicitur, ornatu pontificali indutus, cum mitra & baculo paſtorali, conſiſtentibus ante eum duobus pueris ſymphoniacis, ſolenni cultu ornatis, cum candelabris argenteis & cereis ardentibus. In ingreſſu ſalute ab omnibus data, & facta reuerentia, deducitur Epiſcopus in Chorum ad celebrandum diuinum Officium, eodem ordine quo ſuprà: niſi quòd canentibus pueris fit progreſſio, reſpondente autem Choro ſtatio. Sed in veſpertina proceſſione, conſidente Clero in aula Epiſcopali, offertur ſingulis potus de triplici vino, albo, heluo, & rubro, quaſi libamen charitatis

& vnanimitatis, & lætitiæ Paſchalis ſymbolum. Quæ bibendi conſuetudo, neque temerè introducta, neque ex licentia nata eſt, ſed ex antiquiore diſciplina ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſimul cum aliis feſtiuæ ſolennitatis ritibus deriuata. Sic enim ſcribit Ordo Romanus in deſcriptione Veſpertini Officij Feſti Paſchæ. *Deinde* (ſcilicet peracta Statione ante Crucifixum cum Reſponſorio, *Chriſtus reſurgens) deſcendunt primates Eccleſiæ ad Accubita, inuitante Notario Vicedomini: & bibunt ter, de Græco primò, de Pactiſi ſecundò, de Procouia tertiò. Poſtquàm biberint omnes, Presbyteri & Acolythi per ſingulos titulos, redeunt ad faciendos Veſperos*, ſecundos nempe: quia Romani eo die antiquitus duplices Veſperas celebrabant; alteras eo more quo noſtras facimus in Choro & ad Fontes; alteras breuiores, vt habetur in eodem Ordine Romano. Neque verò hic combibendi ſeu conuiuandi ritus caret myſterio. Habet enim rationem antiquæ Agapes, quæ fiebat poſt communionem ſacram, & ſignificat conuictum Chriſti cum diſcipulis poſt reſurrectionem, de quo in hunc modum ſcribit Venerabilis Beda in Homiliis æſtiualibus de tempore, Homilia in Euan-

gelium, *Cùm venerit Paracletus. Quid enim*, inquit, *fratres mei, quid ſibi vult horum coniunctio verborum, qua dicitur, Apparens eis, & loquens de regno Dei, & conueſcens; niſi quia patenter oſtenditur, quòd ob hoc maximè conuictui ſociabatur eorum, cùm de regno Dei loqueretur, vt terrenas inter eos epulas ſumens, quibus cœleſte corpus monſtrabat, arctiùs eos vinculis ſuæ charitatis obligaret; atque illius temporis memoria roboraret, de quo eis ante paſſionem ſuam promittendo prædixerat, Et ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus, regnum, vt edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Meritò ergo ſacroſanctis diebus his nos quoque maioribus epulis atque hymnis cœleſtibus vacamus, ob reuerentiam nimirum Dominicæ Reſurrectionis, ob memoriam Dominici conuictus cum diſcipulis, ſimul ob ſpem futuræ noſtræ quietis ac vitæ immortalis.* Quòd verò hîc dicit Beda, *maioribus epulis*, intelligendum eſt, tum reſpectu Ieiunij Quadrageſimalis, quo ſoluti Chriſtiani hilariùs ſe excipiunt, ad ſignificandam lætitiam communem de Reſurrectione Chriſti; vnde more antiquo Eccleſiæ ieiunium non indicitur toto tempore Paſchali: tum etiam ratione habita priſcæ Agapes, cui hodier-

num Paſchale conuiuium ſucceſſit, in qua menſæ ſplendidiùs inſtruebantur, & feſto cultu, vt pauperes quibus præcipuè alendis & ſubleuandis eæ apparabantur, honoratiùs & liberaliùs exciperentur. Sic Agapes Chriſtianæ ſumptus interpretatur Tertullianus in Apologetico, c. 39. *Cœna*, inquit, *noſtra de nomine rationem ſuam oſtendit. Vocatur* ἀγάπη, *id quod dilectio penes Græcos eſt. Quantiſcumque ſumptibus conſtet, lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum.*

Cæterùm *Vicedominus* in ſuperiore textu Ordinis Romani intelligendus eſt Maior domus, nempe Sacerdos præfectus adminiſtrationi domus pontificalis Patriarchij Lateranenſis, in cuius Eccleſia die feſto Paſchæ celebrari ſolet Veſpertinum Officium: vnde & *Vicedominium*, ea pars ædium Pontificiarum in qua habitabat Vicedominus, vt docet Onuphrius Panuinius in libello de interpretatione vocum Eccleſiaſticarum.

Accubitorum autem nomine intelligitur cœnatio, ſeu locus in quo fieri ſolent conuiuia: quale illud fuit Accubitum, quod Anaſtaſius Bibliothecarius in Leone quarto ſcribit à Leone tertio ædificatum, ab ipſo Leone quarto inſtaura-

ratum fuiſſe, in quo Pontifices diebus ſolennibus cum Clero ſuo epulabantur: quale illud etiam celeberrimum in aula Conſtantinopolitana, quod vocabatur *Nouemdecim accubita*, vt legere eſt apud Luitprandum lib. 6. Hiſtoriæ, c. 3. & Codinum libro de Originibus Conſtantinopolitanis; vel tribunal decem & nouem accubituum, vt apud Paulum Diaconum Hiſtoriæ Miſcellæ libro 21: *quoniam quidem* (ait Luitprandus) *nouemdecim menſæ, in ea quæ ſecundum carnem eſt Domini noſtri Ieſu Chriſti Natiuitate, apponuntur, in quibus Imperator pariter & conuiuæ, non ſedendo, vt cæteris diebus, ſed recumbendo epulantur: quibus in diebus, non argenteis, ſed tantùm aureis vaſis, miniſtratur.* Cauſa appellationis iſtius deducta eſt ex more veterum, qui, non ſedentes, vt nos, ſed in lectis decumbentes, conuiuabantur. Cui modo diſcumbendi vſui erant lecti, vel diuerſi & ſeparati, vt in tricliniis, quæ à ternis lectis dicta ſunt; vel perpetui & ampliores, in quibus plures ſimul cubabant: & hoc poſterius genus *Accubita* nominauerunt. Quæ appellatio etiam ad Græcos tranſlata eſt, vt conſtat ex aula Nouemdecim accubitorum, ſuprà, & ex canonibus 74. Concilij Trullani, & 28.

Laodiceni, qui prohibent *fieri in Eccleſijs Agapas, vel ad edendum accubita ſterni*; ac ſimiliter ex Commentariis Balſamonis & Zonaræ in eoſdem canones; vbi Zonaras, & Ioannes Citrius in Reſponſis ad Conſtantinum Cabaſilam, libro 5. Iuris Græco Romani, ſcribunt, *Accubita* dici omne genus ſtrati mollis, quod à terra tollitur. A lectis igitur conuiuialibus, locus ipſe, in quo conuiuia Pontificalia celebrantur, apud Anaſtaſium *Accubita* dicitur.

De Proceſsionibus Dominicalibus, & ijs quæ fiunt in Feſtis.

CAPVT XVIII.

SAnctus Ambroſius Serm. 60. de tempore Paſchali loquens, *Itaut* (inquit) *hoc omni tempore neque ad obſeruandum indicamus ieiunia, neque ad exorandum Deum genibus ſuccedamus: ſed, ſicut Dominica ſolemus facere, erecti & feriati Reſurrectionem Domini celebramus. Dominica enim nobis ideo venerabilis eſt atque ſolennis, quia in ea Saluator, velut ſol oriens,*

diſcuſſiſi infernorum tenebris, luce Reſurrectionis emicuit: ac propterea ipſa dies ab hominibus ſaculi dies Solis vocatur, quòd ortus eam ſol iuſtitiæ Chriſtus illuminet. Erecti, dicit; quia die Dominica in Eccleſia genua flectere ad preces publicas non licet, ſed ſtando oportet fidem Reſurrectionis profiteri. Qui ritus (vt eſt apud S. Iuſtinum Martyrem in Reſp. ad quæſt. 115. Orthodox.) ſignificationem habet reſurrectionis noſtræ, qua, virtute gratiæ Chriſti, & à peccatis, & à morte, quæ in ipſis interfecta eſt, liberati ſumus. Vnde noctis Paſchalis ſolemnitas à Gregorio Nazianzeno σεβάσμιος στάσις, *veneranda ſtatio* appellatur, Oratione 19.

Vt igitur dies Dominica à Paſchali ſolennitate propagata eſt, & inſtituta ad renouandam per ſingulas hebdomadas memoriam Reſurrectionis Domini: ita proceſſio, quæ fit in Dominica ante celebrationem Miſſæ, pertinet ad idem myſterium quod in proceſſione matutina Paſchæ diximus celebrari; vt ſcilicet Ieſum quæramus cum mulieribus, eum cum Apoſtolis ſequamur præcedentem in Galilæam, id eſt, in mutationem vitæ; atque vt eum cognitum adoremus & reuereamur, velut auctorem ſalutis noſtræ. Ita

enim Rupertus lib. 5. de diuin. offic. c. 8. *Singulis Dominicis à prima Sabbati, qua Dominus reſurrexit, dedicatis, hoc nobis proceſsionis ordine ſignificamus, quòd in Galilæam, id eſt, in tranſmigrationem, ad videndum Dominum cum Apoſtolis eius exire debeamus: ſcilicet, vt non ſimus vetuſti homines, quod facimus, ſed in nouitate vitæ ambulemus.* Et ad huius myſterij rationem pertinet conſuetudo quæ in Eccleſiis quibuſdam inueterauit, vt Sacerdos celebrans, qui perſonam Domini in Officio gerit, reliquum Clerum in proceſſione antecedat; quaſi Chriſtus in Galilæam Apoſtolos præcurrens, iuxta id quod ipſe Apoſtolis ante mortem promiſerat, Matth. 26. & Marci 14. & poſt mortem mulieribus denuntiauerat, Matth. 28. & Angelus iiſdem prædixerat Matth. 28. & Marci 16. Hunc enim ritum ita interpretantur idem Rupertus lib. 7. c. 24. & Durandus Rational lib. 6. c. 88. Atque hanc Reſurrectionis commemorationem ita ad Dominicarum Officium pertinere ſcribit idem Rupertus lib. 5. c. 8. vt, quia proceſſio Palmarum ſpectat ad recolendam Redemptoris noſtri paſſionem, ne ſingulis myſteriis ſua veneratio non reddatur, dicat quaſdam Eccleſias in more ha-

bere, vt in Dominica Palmarum duplicem proceſſionem obeant; alteram ante Tertiam, in memoriam Reſurrectionis; alteram poſt Tertiam cum palmis, ad recolendum Dominicæ Paſſionis Sacramentum. Atque hæc cauſa eſt, cur idem in proceſſione Dominicali ritus ſeruetur, qui in Paſchali, vt obſeruauit idem Rupertus lib.7. c.19. Nam & inchoatur ab aſperſione aquæ benedictæ, & procedit ordine ſimili, & terminatur ſtatione ante Crucifixum.

Quia verò Paſcha eſt dies illa quam fecit Dominus, & (vt ſcribit S. Hieronymus Marci 16.) *primatum in diebus tenet*, eſt dies dierum, & feſtiuitas feſtiuitatum; ideo ab eius ordine & ſolennitate, non tantùm Dominicæ, ſed etiam cætera Feſta, ſuum ordinem, ſuum cultum, ſuos ritus ac cæremonias, per quamdam imitationem mutuantur. Vnde, ad maiorem celebritatem, in iis quæ ſunt ſolennia fit luſtralis aſperſio aquæ benedictæ, fit proceſſio, & ſtatio, & alia eiuſmodi, ſicut in Paſcha & Dominica: de quo ritu habetur in Concilio Nannetenſi, in Ordine Romano c. *Qualiter agatur*, &c, & Capitularium lib.5.c.120.

Digitized by Google

De Stationibus.

CAPVT XIX.

STationis nomen varium habet vſum in rebus Eccleſiaſticis. Apud Tertullianum & primæ ætatis ſcriptores, accipitur pro conuentu Chriſtianorum ad templa, ſeu ad cœmeteria & ſepulchra Martyrum, vbi per diem ſtabant in oratione & ieiunio perſeuerantes, donec ſumpta Euchariſtia dimitterentur. Nam, quod Cyprianus epiſtola 41. *Stationem* vocat, idem ipſum epiſtola ſequenti appellat *religioſum fratrum conuentum, conſidentibus Dei Sacerdotibus, & altari poſito.* Qua in re ſtandi verbum vſurpatum eſt, non quòd perpetuò in pedes erecti orarent, quod Græci dicunt ὀρθοστάδην, & ſeruatur in Feſto B. Mariæ quod vocant Ἀκάθιστον, quia in eo ſedere non licet, (tum enim de geniculis etiam adorare mos erat) ſed pro eo quod eſt ad tempus in loco aliquo aſſiduè manere: qua ratione apud Græcos Vigilia Feſti appellatur παραμονὴ, quaſi *conſtans permanſio ad ora-*

tionem. Huius autem generis Stationibus dicatæ erant duæ feriæ, quarta & ſexta, vt teſtatur Tertullianus lib. de ieiuniis contra Pſychicos, c. 14: vnde manarunt ſtatæ illæ proceſſiones, quæ per Quadrageſimam ſingulis feriis quartis & ſextis ab Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis fieri conſueuerunt.

Ex eo ritu poſtea in vſum introductum eſt, vt omnes publici conuentus ad orationem, qui ſtatis diebus, ſeu ferialibus & profeſtis, ſeu feſtiuis ac ſolennibus, ex ordine Pontificum fierent, Stationes nominarentur: quæ iam communis appellatio eſt in Eccleſia Romana. Vnde ab Innocentio tertio lib. 2. de Officio Miſſæ, c. 2. *ſtationalis ſolennitas* dicitur, dies cui ſolennis Statio aſſignata eſt: quo modo & *ſtationales Eccleſiæ* vulgò, in quibus habentur eiuſmodi Stationes; & Diaconi, Subdiaconi, & Acolythi *ſtationarij*, in Ordine Romano, qui in ſua quique regione Stationibus inſeruiunt: & in libro Pontificali in vita Hilari Papæ, *ſcyphus ſtationarius*, calix quidam aureus anſatus, ponderis octo librarum, qui ab eodem Hilaro datus eſt in vſum Stationũ: ac ſimiliter in vita Hormiſdæ ſcyphi ſex ſtationales argentei. Et de hoc genere Stationum

intelligendum eſt quod diximus c. 1. proceſſionem ad Stationem pertinere.

Deriuatum quoque eſt id nomen ad ſignificanda ea loca ad quæ pergunt proceſſiones, & in quibus conſiſtunt orandi cauſâ (cuiuſmodi eſt ſtatio crucis in die Palmarum, & ea quam ſuprà diximus in die Paſchæ appellari Galilæam) ac ſimili modo ad ſignificandam orationem & hymnodiam quæ in iis locis fit. Quæ denominatio etiam manauit ad pauſationes illas ſeu manſiones quæ fieri ſolent in curſu proceſſionum, quando ad aliquas Eccleſias, ædiculas, altaria, & loca ſancta, ex itinere ſubſiſtitur; ſicuti in proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti ad tabernacula & repauſatoria paſſim per vicos & plateas conſtituta, & in Rogationibus, quibus ad diuerſas Eccleſias fit ſupplicatio.

Poſtremò eo nomine vtimur ad ſignificandum eum ritum, quo ad imaginem Crucifixi in medio Eccleſiæ poſitam procedimus, & in conſpectu eius ſtantes, ipſo ſtandi actu profitemur, Redemptorem noſtrum, qui in cruce mortuus fuerat, propria virtute reuixiſſe, & nos ſperare, per eius paſſionis merita, tandem aliquando eſſe in vitam & ſtatum immortalitatis reſurrecturos. Atque hæc Statio propriè

pertinet ad ſolennitatem Paſchæ, & ad Officium Dominicarum, in quibus Reſurrectionis memoria celebratur: vnde per Quadrageſimam omittitur, quo tempore repræſentatur ſtatus hominis ſedentis in tenebris & vmbra mortis. Nam quę fit Dominica 1. Quadrageſimæ, inſtituta eſt tantùm quaſi via procedendi ad velationem Crucifixi.

Per imitationem tamen idem ritus ad Feſta quędam, & inſignes aliquo myſterio dies, deriuatus eſt; vt in matutinis proceſſionibus Feſtorum ſolennium, in Veſperis Inuentionis & Exaltationis ſanctę Crucis, & octo dierum ante Natalem Domini; in quibus Antiphonæ maiores, *O O*, ſolenniter cantantur ante Crucifixum, repræſentando Patrum veteris Teſtamenti & Prophetarum deſideria, qui expectantes beatam ſpem & aduentum Domini, & quaſi per fidem intendentes oculos in auctorem ſalutis & conſummatorem Chriſtum, eum aſſiduis vocibus inclamant, & compellant vt veniat, & iam nolit tardare. Rectè enim obſeruauit Micrologus, c. 32. explicās rationem Hiſtoriæ, *Clama*, & Antiphonarum ſingularium, quæ vſurpantur diebus proximis ante Natiuitatem, pro myſterij inſtantis grauitate factum

ctum eſſe, *vt proxima hebdomada ante Natiuitatem Domini, ſicut & ante Paſcha, tanto plus in officijs habeat, quanto vicinior Dominicæ ſolennitati exiſtit.* In Officio quidem Romano ſeptem tantum Antiphonæ ad hoc inſtitutæ ſunt: ſed teſtis eſt Amalarius, in libro de ordine Antiphonarij, c. 13. antiquam eſſe Eccleſiæ Gallicanæ conſuetudinem, vt octaua ad Beatam Virginem pertinens adiungatur; in qua repræſentantur filiæ Ieruſalem ſtupentes miraculum, quod in ea per Incarnationem filij Dei complendum erat, & cauſam tanti myſterij quærentes. Ratio eius rei eſt: quia, vt ſancta Virgo ex diuina electione præcipuum fuit organum Incarnationis Chriſti, & cum eo perfectiſſimè in eius myſterio coniuncta: ita viſum eſt Eccleſiæ, ad perfectam eiuſdem myſterij repræſentationem conueniens eſſe, vt, quoties filij Incarnatio recolitur, matris quoque, per quam incarnatus eſt, commemoratio adijciatur. Vnde de eadem fit Statio diebus Sabbati & Dominicis per Aduentum, & toto tempore poſt Feſtum Natiuitatis: de eadem vtroque tempore fit commemoratio in Miſſis quotidianis; & per ſingulas hebdomadas toto tempore Aduentus in tribus

feriis de eadem dicitur Miſſa Chori, ſi non ſit Officium nouem lectionum. Romani verò etiam in Officio Octauæ Natiuitatis Domini Orationem & Antiphonas Laudum ſumunt de Beata Virgine. Simili ratione in Miſſis votiuis de Beata Maria, dicitur ſecunda Oratio de ſancto Spiritu; quia illa operatione eiuſdem filium Dei concepit.

Sunt autem huius poſtremi generis Stationum aliæ matutinæ, aliæ veſpertinæ. Matutinæ, quæ fiunt in proceſſione ante Miſſam: veſpertinæ, quæ in fine Veſperarum. Illæ, quia ad proceſſionem pertinent, fiunt prælata cruce, & aliis ſupplicationis inſignibus: hæ nullum alium apparatum habent, quàm legitimum Chori habitum, & ordinem, cum propriis Suffragiis & Orationibus: niſi quòd in Eccleſia Cathedrali diebus Dominicis & ſolennibus de more fit incenſatio.

De *Litania Maiore.*

CAPVT XX.

QVamuis Litaniæ nomen omnibus proceſſionibus commune ſit; quia

in iis Deo ſupplicatur; ſingulari tamen ratione tribui ſolet iis quæ fiunt in Feſto Sancti Marci, & triduó ante Aſcenſionem; quarum prior *Litania maior*, poſterior *Litania minor* appellatur.

Et illa quidem, quamquam inſtitutione poſterior, maioris appellationem præ alia ſortita eſt, tum à dignitate auctoris, qui fuit ſummus Pontifex, cùm is, qui Litaniam minorem inſtituit, Epiſcopus tantùm fuerit: tum à dignitate loci, in quó fuit inſtituta, nempe Eccleſiæ Romanæ, quæ caput eſt omnium Eccleſiarum. Ita ſentiunt, Honorius in Gemma animæ, lib. 3. c. 138. Iacobus de Vitriaco in Sermonibus de vtraque Litania, Durandus Rational. lib. 6. c. 102. & Ioannes Belethus in Explicatione diuin. offic. c. 122. Eamdem Romana conſuetudine vocari *Litaniam maiorem non in ieiunio*, referunt Ordo Romanus, Alcuinus, & Amalarius. Cuius rei ea videtur cauſa eſſe; quòd, licèt eo die à carnibus abſtineatur in ſignum pœnitentiæ, ieiunandi tamen præceptum non ſit impoſitum, propter myſterium Reſurrectionis quod eo tempore colitur. Atque id ſimiliter de Rogationibus accipiendum eſt.

Inſtitutorem eius fuiſſe Sanctum Gre-

gorium Magnum, tradunt Ioannes Diaconus in eius vita, lib. 1. c. 41. idem Ordo Romanus, Valafridus c. 28. Micrologus c. 57. Rupertus lib. 9. c. 5. Honorius, Durandus, & Belethus, locis ſuperiùs citatis, Paulus Diaconus lib. 3. de geſtis Longobard. c. 23. 24. & 25. & lib. 18. Additionis ad Eutropium, Beda & Ado in ſuis Martyrologijs. Cuius rei cauſam hanc afferunt: quòd, cùm, aquis omni ex parte Italiam inundantibus, ſerpentum vis ingens cum dracone portentoſæ magnitudinis per Tiberim affluxiſſet, & eluuione fluminis atque æſtus marini iactatione in terram eiecta, vrbem Romam, atque adeò omnem circà regionem, tetro halitu ac fœtore computreſcentium corporum infeciſſet; exorta peſte, quæ inguinaria dicta eſt, multíſque iam ciuibus eo morbo extinctis, atque ipſo in primis Pontifice Pelagio, tantæ cladi expiandæ Sanctus Gregorius, eius loco Pontifex deſignatus, ſupplicationes publicas in triduum per ſeptem Eccleſias indixit, vniuerſo Clero ac populo Romano in ſeptem claſſes iuxta numerum Eccleſiarum diſpertito: quam ipſe Litaniam ſeptiformem appellauit in Sermone ea de re habito, qui ſubiectus eſt Epiſtolæ 1. libri 11. Epiſtola-

rum eiuſdem, & refertur à Ioanne Diacono loco citato, & à Gregorio Turonenſi initio libri 10. Hiſtoriæ Francorum, quibus in locis totius rei ordo plenè deſcribitur. *Septiformis autem Litania* (ait Paulus Diaconus lib. 3. de geſt. Longobard. c. 25.) *ideo dicta eſt, quòd totius vrbis populus à B. Gregorio in ſeptem partes, Deum deprecaturus, diuiſus eſt.* Quarum in ſupplicationum vltima teſtatur ex antiquis Romanæ Eccleſiæ Ritualibus Baronius tomo 8. Annal. anno 590. delatam fuiſſe imaginem beatiſſimæ Virginis, qua procedente aëris labes & contàgio diſſipabatur: vnde, cùm ad molem Adriani ventum eſſet, viſus eſt ex ſumma arce Angelus diſtrictum enſem vagina recondens, in ſignum placatæ cæleſtis iræ. Quam ſententiam ſequuti ſunt, Iacobus de Vitriaco Sermone in maiore Litania, & Baptiſta Mantuanus lib. 4. Faſtorum, proceſſionem hanc ſic deſcribens:

Hac maior quoque luce meat Litanèa per vrbes,
Ac per rura, procul clamore per aëra miſſo,
It populus ſupplex longis per compita pompis,
Manè recens viridi dum ros in gramine lucet.

Protulit hunc olim morem, dum peſtifer annus
Mauritio Romam premeret ſub Cæſare, maior
Gregorius, quando paſſis apparuit alis
Angelus auguſtæ ſuper alta cacumina molis.

Sigonius tamen lib 1. de regno Italiæ ſcribit, id contigiſſe in die Paſchæ anno ſequenti, ac tum circa imaginem auditum eſſe Angelorum chorum, Deiparæ accinentem Antiphonam illam celebrem, *Regina cœli*; cui Gregorius diuino ſpiritu ſubiunxit extremum Verſum, *Ora pro nobis Deum, Alleluia.*

Sed hanc eamdem proceſſionem ſuccedentibus deinceps annis in gratiarum actionem, & imminentium in dies calamitatum depulſionem, renouâſſe Gregorium, & anniuerſaria celebritate in poſterum ſtato ritu frequentari iuſſiſſe, argumento eſt charta ſeu ſchedula indictionis poſita in fronte libri 2. Epiſtolarum eiuſdem, his verbis: *Solennitas annuæ deuotionis, filÿ dilectiſſimi, admonet, vt Litaniam, quæ maior ab omnibus appellatur, ſolicitis ac deuotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare: per quam à noſtris exceſſibus, eius miſericordiæ ſupplicantes, purga-*

ri aliquatenus mereamur : & ſtatim : *Ad beatum Petrum Apoſtolorum principem Domino ſupplicantes, cum Hymnis & Canticis ſpiritualibus properemus; vt ibidem ſacra myſteria celebrantes, tam de antiquioribus, quàm de præſentibus beneficiis, pietati eius, in quantum poſſumus, referre gratias mereamur.* Patet enim ex verbis ipſis Gregorij, iam tum, cùm formula illa pro foribus baſilicæ Sanctæ Mariæ propoſita fuit; eam proceſſionem fuiſſe legitimam & ordinariam: tum quia eo iam tempore communi vſu loquendi ab omnibus appellabatur Litania maior, vt etiam patet ex Sacramentario eiuſdem Gregorij; tum etiã, quia dicitur ibidem *ſolennitas annuæ deuotionis*. Hoc diſcrimen interceſſit, quòd, quæ pro ingruente calamitate primùm edicta fuerat, in Septembrem incidit, ac per triduum tenuit; ex quo verò facta eſt anniuerſaria, & verno tempori, & vni diei hæſit addicta. Poſtmodùm verò, ſeu exempli religioſa quadam propagatione, ſeu ſpeciali inſtitutione eiuſdem Gregorij, illius obſeruatio ab Eccleſia Romana ad vniuerſæ Eccleſiæ vſum & cõſuetudinem manauit. Scribunt enim Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, & Valafridus, Romana conſuetudine receptum eſſe vbi-

que, vt ea certo die, id eſt, ſeptimo Calendas Maij (qui incurrit in Feſtum ſancti Marci) celebraretur. Vnde lex Gallicana in Concilio Aquiſgranenſi ſecundo, c. 10. & Capitularium lib. 6. c. 74. *Vt Litania maior, more Romano, ab omnibus in ſeptimo Calendas Maij celebretur.* Et Concilium Moguntinum, c. 33. *Placuit nobis, vt Litania maior obſeruanda ſit à cunctis Chriſtianis vno die, ſeptimo Calendas Maij, ſicut in Romana Eccleſia conſtitutum reperimus; & ſicut ſancti patres noſtri conſtituerunt; non equitando, non pretioſis veſtibus induti: ſed cinere aſperſi, & cilicio induti, ieiunemus, niſi infirmitas impedierit.* Certè ea de re ſic ſcribit Iacobus de Vitriaco Sermone in Litania maiore, de S. Gregorio loquens: *Et inſtituit hanc proceſsionem ſingulis annis fieri in Eccleſia Dei, & vbique terrarum ieiunia obſeruari*: & Ioannes Belethus, Explicationis ſuæ c. 122. *Fuit enim inſtituta Romæ, & publico decreto ſancitum vt vbique celebraretur.* Quod de ieiunio huius diei tradit poſt Concilium Moguntinum Iacobus Vitriacenſis, id aſſeueranter contendit Petrus Damiani Epiſt. 35. lib. 6. ſcribens, *Romam hoc ieiunium non modò decretalis paginæ promulgatione corroborare, ſed & viua annuatim veneratione conſeruare.*

Sed apud nos omni memoria obtinuit tantùm vt à carnibus abſtineretur, quemadmodum ſuperiùs inſinuatum eſt.

Ei porrò celebrandæ vernum tempus aſſignatum creditur, quòd ea tempeſtas peccatorum licentiæ & publicis calamitatibus vt plurimùm initia & cauſas præbeat. Tunc enim, efferueſcente ſanguine ex noui ſideris influxu, laſciuiæ ſpiritus exardeſcunt, vnde ingens vitiorum ſeges; bella oriuntur, aëris intemperie morbi excitantur; flores & frugum atque arborum germina præ teneritudine facilè pruinis & alia quauis cœli iniuria diſpereunt, & ſpem annui prouentus fallunt: Quibus malis auertendis huiuſmodi ſupplicatio inſtituitur, vt notauit Alcuinus lib. de diuin. offic. c. de Litania maiore, & Iacobus de Vitriaco Serm. in Litania maiore; quod etiam de Rogationibus obſeruatum eſt à Concilio Colonienſi parte 9. c. 7. & ab eodem de Vitriaco Sermone in feria ſecunda Rogationũ. Ea de re ita Ordo Romanus: *Pro importunitate autem bellorum poteſt procul dubio videri Litania inſtituta eſſe; & ex qualitate temporis colligimus, eam neceſſariam eſſe ad fruges conſeruandas.* Honorius in Gemma animæ, lib. 3. c. 138. dicit, *hanc annuatim celebrari, vt Deus à populo*

& ab animalibus peſtilentiam auertat. Anaſtaſius Bibliothecarius ſimpliciter dicit, pro ſalute populi Chriſtiani, dum ita ſcribit in vita Leonis tertij: *Cùm die quadam more ſolito in Litanijs, quæ ab omnibus maiores appellantur, procederet, vbi ſibi populus obuiàm ſacra religione occurrere deberet, & ſecundum annuam conſuetudinem Litanias & Miſſarum ſolennia cum Sacerdotibus celebraret, & omnipotenti Domino pro ſalute Chriſtiani populi preces funderet.* Colligere licet ex Sacramentario S. Gregorij, hanc proceſſionem ab initio diſtinſtam fuiſſe per varias ſtationes. Ibi enim notantur plures Orationes, vna ad S. Laurentium in Lucinæ, altera ad S. Valentinum, tertia ad pontem Miluium, quarta ad Crucem, quinta & ſexta in atrio.

De Litania Minore, ſeu Rogationibus.

CAPVT XXI.

Rogationes, ſeu triduanas ſupplicationes ante Aſcenſionem, inſtituit S. Mamertus Epiſcopus Viennenſis, vt ſcriptis prodiderũt, Alcimus Auitus Homilia

de Rogationibus, Sidonius Apollinaris epiſt. 14. lib. 5. & 1. lib. 7. vterque eius æqualis, Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſt. Franc. Aimoinus lib. 2. de geſtis Franc. c. 25. Ado Viennenſis & Sigebertus in ſuis Chronicis, Notgerus in vita S. Remacli, lib. 2. c. 15. Ordo Romanus, Alcuinus, Amalarius, Valafridus, Micrologus, Rupertus, & cæteri. Cùm enim Vienna vrbs Allobrogum, toto anni ſpatio, aſſiduis terræ motibus, incendijs, ferarum irruptionibus, nocturnis fragoribus, ac cœleſtium ignium terroribus infeſtaretur; ac demùm ipſa nocte Paſchalis ſolennitatis, arce ſubito incendio correpta, extremum exitium ciuitati impendere crederetur: diffugiente ex Eccleſia populo, perſeuerauit in oratione Mamertus, atque humi ſtratus ante Altare, precibus & lacrymis ſuis graſſantes procul flammas reſtinxit: proſpiciénſque in futurum, in eodem veſtigio ſolennes ſupplicationes placandæ cœleſti iræ animo concepit, & vniuerſum precandi ordinem cum Deo tacitus definiuit; ac, modico intermiſſo tempore, Niniuitarum exemplo, triduum proximum ante Aſcenſionem Eccleſiaſtica lege in perpetuum Rogationibus conſecrauit. Quod communi Epiſcoporum conſilio ab

eo fuiſſe ſtatutum tradit Alcuinus libro de diuin. offic. c. de diebus Rogationum, his verbis. *Nam, cùm, exigentibus peccatis, Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec huius flagelli aliquod remedium inueniretur: cõgregati traduntur Galliarum Epiſcopi apud Viennam, præcipuam Galliæ vrbem: qui in commune ſtatuerunt, vt triduano ieiunio miſericordiam Domini implorarent, antiquorum Patrum veſtigia ſequentes. Cúmque ad eorum preces oculus diuinæ pietatis reſpiciens, flagelli huius peſtem miſericorditer abſtuliſſet, hi dies in conſuetudinem annuæ celebritatis venerunt, vt per Galliarum prouincias ante Aſcenſionis diem celebrarentur: quæ conſuetudo apud nos vſque hodie pro diuerſis calamitatibus deuotiſſimè recolitur.* Idem refertur in Chronico Cameracenſi edito à Georgio Colueneгio: *Huius temporibus habita Synodus Vienna vrbe deſcribitur, ad quam Galliarum Epiſcopi à Beato Mamerto conuocati penè omnes conuenerunt: vbi & ipſi B. Remigium, vtpote diuinis eloquiis eruditiſſimum, & præſtantioris gratiæ priuilegijs facundiſsimum, venire petierunt.* Et, poſt narrata prodigia, de quibus ſuprà, tandem ſubditur: *Hanc diuinæ indignationis animaduerſionem ex offenſa hominum accidiſſe*

aduertentes Epiſcopi, communi conſilio decreuerunt ſeruari ieiunium, quod triduo ante Aſcenſionem Domini vſque nunc per omnes Galliarum Eccleſias agitur: ſicque ipſa tribulatio atque ſubuerſio quieuit.

Eam inſtitutionem omnium primos ſuſcepiſſe Aruernos, conijcere licet ex epiſtola Sidonij ad ipſum Mamertum, quæ eſt prima lib.7. qua ſcribit, Aruernos ſuos veſtigia tam ſacroſanctæ informationis ſedulò fuiſſet amplexatos, petítque ab eo ſibi tranſmitti formulam ſolennium precationum qua vſus fuerat. Certè breui pòſt interuallo, nempe anno Domini 507. Concilium Aurelianenſe primum harum Rogationum obſeruationem per Galliam edixit, Canone 29. his verbis: *Rogationes, id eſt, Litanias, ante Aſcenſionem Domini placuit celebrari, itaut præmiſſum triduanum ieiunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolennitate ſoluatur: per quod triduum ſerui & ancillæ ab opere relaxentur; quò magis plebs vniuerſa conueniat. Quo triduo omnes abſtineant, & Quadrageſimalibus cibis vtantur.* Qui Canon iuri inſertus habetur, de Conſecrat. diſt. 3. Atque ea religio omnes Galliarum prouincias tam celeriter peruaſit, vt Cæſarius Arelatenſis, qui eodem tempore vixit, in Homilia 37. quam

ſcripſit de Litania, dicat; *Præcipuè in iſtis tribus diebus, quos regulariter in toto mundo celebrat Eccleſia, nullus ſe à ſancto conuentu ſubducat, nullus Eccleſiam, cœleſtis medici ſcholam, occupatus terrenis actibus, derelinquat.* Vbi, totius mundi nomine, intelligendus eſt, iuxta interpretationem Amalarij, orbis Gallicanæ Eccleſiæ; cuius poſtea exemplum ſequuta Eccleſia Romana, eamdem legem orbi Chriſtiano dedit. *Cúmque hæc agerentur* (inquit Gregorius Turonenſis loco citato) *appropinquante Aſcenſione, vt iam diximus, maieſtatis Dominicæ, indixit populis ieiunium, inſtituit orandi modum, edendi ſeriem, erogandi hilarem diſpenſationem. Ceſſantibus quoque exinde terroribus, per cunctas prouincias diſperſa facti fama cunctos Sacerdotes imitari commonuit quod Sacerdos fecit ex fide: quæ vſque nunc in Chriſti nomine per omnes Eccleſias in compunctione cordis, & contritione ſpiritus celebratur.* Et Aimoinus: *Exinde pulcherrimus in ſancta vniuerſali Eccleſia mos inoleuit, vt, quoquò terrarum Chriſti fides diffunditur, à cunctis fidelibus hæ Litaniæ cum exultatione peragantur.* Et ſimiliter Ordo Romanus: *Tres dies Rogationum*, inquit, *qui celebrantur ante Aſcenſionem Domini iuxta morem Gallicanæ Eccle-*

ſiæ, conſtituit Sanctus Mamertus Viennenſis Epiſcopus. Idcirco Micrologus c.57. dicit, has Litanias Romanas non eſſe, ſed Gallicanas. Conjectura eſt ex Anaſtaſio Bibliothecario, Leonem tertium eas in Eccleſiam Romanam inuexiſſe. Sic enim ſcribit ille in eius vita: *Ipſe verò à Deo protectus & præclarus Pontifex conſtituit, vt ante tres dies Aſcenſionis Dominicæ Litaniæ celebrarentur*; & cætera, quibus ordinem proceſſionum prętcribit: quamquam Iacobus de Vitriaco, Sermone in feria ſecunda Rogationum, id tribuit Liberio; ſed tempora non conſentiunt.

Finis triduanæ huius ſupplicationis eſt idem qui in Litania maiore: vt ſcilicet operibus pœnitentiæ, & precibus aſſiduis, propitietur Deus peccatis fidelium, & iræ ſuæ flagella ab eis amoueat; pacem, aëris & corporum ſalubritatem, frugum vbertatem concedat, omnibúſque populi Chriſtiani neceſſitatibus benignè proſpiciat, quemadmodum obſeruauit Ordo Romanus, & Amalarius lib.1.c.37. & Honorius in Gemma animæ lib.3.c.139. Cæſarius Arelatenſis, qui longo tempore ante hos omnes vixit, Homilia 37. de hac re ita ſcribit: *Vt ad integrum Deo vacantes, & miſericordiam illius ſuppliciter exo-*

rantes, & à cunctis infirmitatibus ſanari, & à peccatis omnibus erui, & de tam frequenti inundatione aquarum mereamur per Dei miſericordiam liberari. Itaque hi dies ſunt Expiationum, de quibus inferiùs c. 27. & dies pœnitentiæ: vnde preces, quas in ijs vſurpat Eccleſia ex præſcripto Antiphonarij & Sacramentarij S. Gregorij, omnes pertinent ad pœnitentiam, & miſeriarum ex peccato inſurgentium deprecationem. Et hæc cauſa eſt, cur Rituale Romanum vetet in his proceſſionibus & Litania maiore, aliiſue pœnitentiæ cauſa inſtitutis, dici Hymnos vel Cantica lætitiæ. Eodem ſpectat ieiunium cum vſu ciborum Quadrageſimalium, de quo in Canone Concilii Aurelianenſis ſtatuitur; quod quidem primis temporibus per Galliarum Eccleſias religioſè ſeruatum fuit Mamerti exemplo: vnde Sidonius epiſt. 14. lib. 5. de vſu Eccleſiæ ſuæ loquens, ſcribit: *In his ieiunatur, oratur, pſallitur, fletur.* Cæſarius Arelatenſis loco citato: *Conuiuiola* (inquit) *nobis etiam Quadrageſimali ordine præparemus.* Et Amalarius de ſui temporis obſeruantia, lib. 1. de Eccleſ. offic. c. 37. *Ieiunium triduanum in Vigilia Aſcenſionis Domini. Miror, quomodo inoleuit conſuetudo præſentis ieiunij in noſtra Eccleſia, quæ*

tamen

tamen non tenetur per omnes Orientales Eccleſias; cùm ſancti Patres, quos memorauimus, Ambroſius, Auguſtinus, Hieronymus, dicant relaxanda ieiunia tempore Pentecoſtes, id eſt, Quinquageſimæ dierum poſt Paſcha. Quin etiam idem ieiunium in Eccleſia Romana ſeruatum fuiſſe docet Secreta Miſſæ feriæ quartæ Rogationum apud S. Gregorium in Sacramentario, quæ ſic habet: *Ieiunantium, Domine quæſumus, ſupplicum vota propitius intuêre; & munera præſentia ſanctificans, perceptione eorum occulta cordis noſtri remedio tuæ clarifica pietatis: vt nec opera carnalia nec fluxa nos tentant, quos inſtitutor ieiunij Chriſtus Dominus reparauit. Qui tecum.* Sed, cùm animaduerſum eſſet, ex ſacris Canonibus ieiunia non indici toto tempore à Paſcha ad Feſtum Pentecoſtes, propter lætitiam Reſurrectionis Dominicæ, vt conſtat ex c. *Scire debet*, diſt. 76. idcirco ieiunij Quadrageſimalis obſeruatio in his diebus relaxata fuit, & ſolùm retenta abſtinentia à carnibus, ad aliquam pœnitentiæ ſpeciem. Vnde Iacobus de Vitriaco Serm. in feria 2. Rogationum: *In his autem litanijs ieiunare ſolebant in principio in Quadrageſimalibus cibis: nunc autem pauci ieiunant primis duobus diebus,*

niſi in caſeo & ouis. Omnes autem debent ab operibus mundanis ceſſare, ſicut in diebus feſtis, donec facta ſit proceſſio, cui debent intereſſe: quæ extrema verba reſpiciunt ad Canonem Concilii Aurelianenſis, de quo ſuperiùs. Si quibus tamen viſum fuerit iis diebus ex deuotione ieiunare, nihil vetat, vt recte monuit Iſidorus in c. *Poſt Paſcha*. eadem diſt. his verbis: *Poſt Paſcha vſque ad Pentecoſten, licèt traditio Eccleſiarum abſtinentiæ rigorem prandijs relaxauerit, tamen, ſi qui Monachorum vel Clericorum ieiunare cupiunt, non ſunt prohibendi: quia Antonius & Paulus, & cæteri patres antiqui, etiam his diebus in eremo leguntur abſtinuiſſe, neque ſoluiſſe abſtinentiam, niſi tantùm die Dominico.* Scribit Valafridus, lib. de rebus Eccleſ. c. 28. Hiſpanos Litanias ſuas poſt Pentecoſten reieciſſe, quòd intra Quinquageſimam Paſchæ recuſarent ieiunare.

Antiqui moris fuit in Eccleſia Romana, vti etiamnum apud nos, in his proceſſionibus deferre Sanctorum reliquias, vt colligi poteſt ex Ordine Romano, c. de Litania minore: vnde obtinuit paſſim in Eccleſijs Cathedralibus, vt hæ proceſſiones incipiantur ab Antiphona, *Surgite Sancti*, vel, *De Ieruſalem*; qui ordo ſump-

tus eſt ex Antiphonario S. Gregorij in Officio Litaniæ maioris. Et hæc fortaſſe cauſa eſt, cur pleriſque in locis pia conſuetudo inualuerit flores & herbas ſuaueolentes in via ſpargendi adueniente proceſſione, de qua Baptiſta Mantuanus his verſibus lib. 4. Faſtorum.

Antè triumphali Chriſtus quàm ſidera pompa
Conſcendat, Litanèa minor per rura, per vrbes
Incedit, tres manè dies pulſantibus æra
Turribus, & ſparſis paſſim cum floribus herbis.

De Proceſſione in Feſto Aſcenſionis Domini.

CAPVT XXII.

SAncta præ cæteris ac myſterij plena eſt hæc proceſſio, atque vna de quatuor illis pręcipuis, quas Durandus Rational. lib. 4. c. 6. ſpeciali quodam iure ſolennes vocat, ſcilicet in Purificatione, in Ramis palmarum, in Paſcha, & in Aſcenſione. Vbi animaduertit ille, Eccleſiam pri-

initiuam pari religione obſeruâſſe feriam quintam ac diem Dominicum, & in illa celebrâſſe proceſſionem in memoriam Aſcenſionis, ſicut die Dominico facere ſolet in memoriam Reſurrectionis: ſed, multiplicatis Sanctorum feſtiuitatibus, ſublatam fuiſſe ſolennitatem feriæ quintæ, & eius proceſſionem per Agapetum Papam in diem Dominicum tranſlatam. Ex quo fit, proceſſionem Dominicalem duplici myſterio hodie inſignem eſſe, Reſurrectionis ſcilicet & Aſcenſionis Domini. Ad obſeruantiam illam feriæ quintæ ſpectat Canon, *Ieiunium*, de conſecrat. diſt. 3. quo prohibetur ieiunium in feria quinta, perinde atque in Dominica: *quia* (inquit Gloſſa) *in iſtis duobus diebus fecit Dominus quidquid inſigne fecit, quia die Iouis cœlum aſcendit.*

Inde patet, quanti Eccleſia faciat myſterium Aſcenſionis, ac proinde quanti apud eam ſit proceſſio huius Feſti, quam renouari certo die per ſingulas hebdomadas voluit. Certè ratione huius myſterij Epiphanius, in Orat. de Aſcenſione, dicit, *Hoc Feſtum inter Feſta Dominica faſtigium obtinere, & eſſe Feſtorum decus:* Bernardus verò Serm. 2. de eodem Feſto, *Conſummationem & adimpletionem eſſe re-*

liquarum ſolennitatum, & felicem clauſulam itinerarij Filij Dei.

Narrant Euangeliſtæ, Marcus c. 16. & Lucas c. 24. & Act. c. 1. Dominum quadrageſimo die à Reſurrectione ſua vndecim Diſcipulos, in Ieruſalem congregatos, extra vrbem eduxiſſe, & Bethaniam vſque progreſſum, inde in ſummum verticem montis Oliueti contendiſſe; &, poſtquàm eleuatis manibus iis benedixit, ex eo loco in cœlum fuiſſe ſubuectum, prætendente ſe nube clara, quæ eum ex oculis ſpectantium eripuit.

Huius Chriſti & Apoſtolorum itineris myſticam imaginem repræſentat Eccleſia in hodierna proceſſione; Chriſtum, quaſi præſentem, animis ac feſtiuo cantu deducens ad locum triumphi, in eiúſque honorem templi parietes & vias triumphali more virentibus ramis ornans, ac ſolum herbis ſuaueolentibus & floribus conſternens, ſcandentem in cœlos piis votis ac deſiderijs proſequens, & ab eo benedictionem precibus flagitans. Qua in re, Clerus cum populo procedens, ſanctum Apoſtolorum ac Diſcipulorum comitatum Chriſto adhærentem demonſtrat; Eccleſia ex qua procedit ſupplicatio, cœnaculum ipſum, ex quo à Chriſto edu-

cti ſunt Apoſtoli; locus vbi fit ſtatio, montem Oliueti; capſa Reliquiarum, quæ in celebrioribus Eccleſiis præfertur, arcam illam ſacram noui Teſtamenti, id eſt, humanitatem Chriſti, quæ hodie in Sanctuarium templi cœleſtis euecta, collocata eſt ad dexteram Dei Patris in gloria.

Quòd verò Chriſtus pergens ad montem Oliueti tranſiit per Bethaniam, Rupertus lib. 10. de diuin. offic. c. 9. id ita interpretatur; *quòd Dominum noſtrum ſequi debeamus in cœlum, quò præcurſor ipſe introijt, per eamdem obedientiæ viam, quam ipſe, factus obediens vſque ad mortem, exemplo ſuo præmonſtrauit*: quando quidem Bethaniæ nomen apud Hebræos domum obedientiæ ſignificat.

Amalarius lib. 3. de Eccleſ. offic. c. 36. docet, benedictionem, quæ dari ſolet populo à Sacerdote ſub finem Miſſæ, poſt omnia Sacramenta conſummata, referre benedictionem illam, quam Chriſtus in cœlum aſcendens Apoſtolis ſuis, poſt conſummatum Incarnationis ſuæ myſterium, impertiuit: & addit cap. ſequenti, hac in re impleuiſſe figuram Iacob & Moſis, quorum ille filiis ſuis, hic populo Iſraël, in fine vitæ ſuæ benedixit.

In quibuſdam Eccleſiis, procedente

ſupplicatione, mos eſt floſculos paſſim è ſublimi in Clerum & populum ſpargere: quo ritu adumbratur id quod ſcribit S. Paulus Epheſ. c. 4. *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*; dona nempe Spiritus ſancti, & omnis generis gratiarum, quas Chriſtus è cœlo in vniuerſam Eccleſiam larga manu effudit. Qua de re ſic S. Ambroſius Serm. 61. explicans eadem verba Apoſtoli. *Quòd autem ait, Dedit dona hominibus: hoc victoris inſigne eſt. Poſt triumphum enim victor ſemper dona largitur, & proprio regno reſidens ſeruulorum gaudia muneratur. Sic Chriſtus Dominus victor, diabolicum poſt triumphum, reſidens ad dexteram Patris, hodierna die Diſcipulis dona largitus eſt, non auri talenta, non argenti metalla, ſed Spiritus ſancti cœleſtia munera, vt inter cæteras gratias Apoſtoli etiam variis linguis loquerentur.*

Pertinet etiam ad hoc myſterium, quòd Cereus Paſchalis in Miſſa ſtatim recitato Euangelio extinguitur, neque ampliùs accenditur, niſi in Sabbato Pentecoſtes ad benedictionem Fontis: vt ſignificetur, iam tunc Chriſtum è cōſpectu ſuorum abiiſſe, & videri in mundo deſijſſe: quippe Cereus iſte illuminatus index eſt Chriſti reſur-

gẽtis,&poſt Reſurrectionem Apoſtolis ſe manifeſtãtis: quare poſt Pentecoſten non videtur in publico cõſpectu relinquendus.

De Proceſsione ad Fontem in Sabbato Pentecoſtes.

CAPVT XXIII.

PRoceſſio hęc inſtituitur ad conſecrationem Fontis, & Baptiſmi ſolennis celebrationem, ſicut ea quæ fit in Sabbato Paſchæ. Cuius myſterij cauſam ita explicat S. Leo, can. *Propriè*, de conſecrat. diſt. 4. *Additur ſanè huic obſeruantiæ* (Baptiſmi in Sabbato Paſchæ celebrandi) *etiam Pentecoſtes ex aduentu Spiritus ſancti conſecrata ſolennitas, quæ de Paſchalis Feſti pendet articulo. Et, cùm ad alios dies alia Feſta pertineant, hæc ſemper ad eum diem, qui Reſurrectione Domini eſt inſignis, occurrit.* Et paulò inferiùs: *Hoc autem nos non ex noſtra perſuaſione defendere, ſed ex Apoſtolica auctoritate ſeruare, ſatis idoneo probamus exemplo, ſequentes beatum Apoſtolum Petrum: qui eo die, quo omnem credentium numerum promiſſus Spiritus ſancti repleuit aduentus, trium millium populum, ſua prædicatione conuerſum, lauacro baptiſmatis conſecrauit.*

Valafridus lib. de exord. & increm. rerum Eccleſiaſticarum, c. 26. eadem de re ſic ſcribit. *Quia verò, ſecundum Apoſtolum.* (Rom. 6.) *in morte Saluatoris baptizamur, & ipſe Dominus intraturos regnum cœlorum ex aqua & Spiritu ſancto renaſci debere præmonſtrat* (Ioan. 3.) *congruè à præſulibus Romanorum hæc duo tempora ſola ad celebrationem præfixa ſunt baptiſmatis, id eſt, Paſcha & Pentecoſte, quorum vno Paſſio Domini & Reſurrectio, altero aduentus celebratur Spiritus ſancti.* Rupertus autem lib. 10. de diuin. offic. c. 2. hanc cauſam reddit: *quia baptiſmatis regeneratio propria Sancti Spiritus operatio eſt.* Qua de cauſa in ipſa benedictione Fontis baptiſmalis dicitur: *Deſcendat in hanc plenitudinem Fontis virtus Spiritus ſancti, totámque huius aquæ ſubſtantiam regenerandi fœcundet effectu.* Vnde per quamdam analogiam Chriſtus ipſe Act. c. 1. aduentum Spiritus ſancti in Apoſtolos appellauit baptiſmum: *Vos autẽ* (inquit) *baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies.* Qua in ſignificatione Hugo à S. Victore lib. 3. Eruditionis Theolog. c. 34. fundat cauſam hodierni myſterij: *In vigilia,* inquit, *Pentecoſtes celebratur baptiſmus, eo quòd Dominus aſcenſurus in cœlum promiſit diſcipulis ſuis, dicens: baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos*

dies, ſcilicet poſt decem, quod & factum eſt. Hac de cauſa celebrat Eccleſia baptiſmum decima die poſt Aſcenſionem, vt Catechumeni noſtri baptizentur Spiritu ſancto, ſicut & ipſi Apoſtoli. Optima omnium cauſa hæc videtur eſſe, quam S. Leo leuiter perſtringit ex c. 2. Actuum Apoſt. ſcilicet inſtitutionem Baptiſmi in Sabbato Pentecoſtes ſolenniter celebrandi ex eo profectam fuiſſe, quòd præceptum Chriſti de ſuſcipiendo Baptiſmo primùm cœperit promulgari, & perfectè executioni mandari in die Pentecoſtes, quando nimirum S. Petrus, ſtatim poſt deſcenſum Spiritus ſancti, vno ſermone tria millia hominum ad fidem conuertit, & baptizauit, ſpectante non ſolùm ciuitate Ieroſolymitana, ſed etiam numeroſa multitudine populorũ, quę ad Feſtum conuenerat ex omni natione quæ ſub cœlo eſt.

De hora celebrandi Baptiſmi in hac Vigilia, ſic Amalarius lib. 4. de Eccleſ. offic. c. 28. *Notandum eſt, quòd ea hora diei nunc celebret ſancta Eccleſia baptiſmũ, qua hora Angelus Domini venit ad Cornelium, annuntians ei, quòd orationes eius & eleemoſynæ aſcenderãt in memoriam in conſpectu Dei, & vt mitteret ad Petrum, qui eum baptizaret: eadem hora venit baptiſta Petrus ad eumdem Cornelium baptizandum*, ſcilicet

hora nona. Atque id probat Amalarius ex Actibus Apoſt. c. 10. & tandem ſubdit. *Igitur eo in tempore circa primitiuam Eccleſiam hora nona baptiſmus celebratus eſt: vt & ipſa, & imitatrix eius quæ hodierna die eſt, retineret in mente, quòd in morte Chriſti, qui hora nona emiſit ſpiritum, oporteat eam baptizare, hunc morem tenet nunc noſtra Eccleſia in Vigilia Pentecoſtes.*

Quod ſpectat ad ritũ huius proceſſionis, is abũdè explicatus fuit capite decimo 13.

De Proceſſione in die Pentecoſtes.

CAPVT XXIV.

NArrat S. Lucas Act. c. 1. & 2. Apoſtolos poſt aſcenſum Chriſti in cœlum Ieroſolymam rediјſſe, & in eamdem domum, vnde profecti fuerant, cum Maria matre Ieſu ac reliquis Diſcipulis, numero centum viginti, ſe recepiſſe, ibíque manentes ſimul in oratione perſeuerâſſe vſque ad diem Feſti Pentecoſtes: quo ſub horam tertiam, id eſt noſtro more, circiter nonam matutinam, derepentè in cœnaculum, in quo erant congregati, ſonitus vehemens è cœlo quaſi incumbentis procellæ intonuit, cum igneo quodam ful-

gore linguarum flammantium, quæ ſingulorum capitibus inſederunt: ac tum repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui variis linguis, prout Spiritus ſanctus dabat eloqui illis. Tam inſolitæ rei fama commota ciuitate, vndique eò concurritur. Et erat tum Ieroſolymis multitudo ingens aduenarum ex varijs gentibus, qui ad Feſti celebritatem confluxerant ex Dei præcepto Deuteronom. c.16. vbi iubentur omnes Iudæi maſculini ſexus in tribus Feſtis ſingulis annis Ieruſalem conuenire, ſcilicet in Paſcha, in Pentecoſte, & Scenopegia. Iis attonitis miraculo linguarũ, cùm ſuam quiſque agnoſceret, ac ſciſcitantibus quid iſtud rei eſſet; Petrus, in medium progreſſus, longum de Chriſto ſermonem ad multitudinem habuit, tanta vi Spiritus in eo loquentis, vt ad tria vſque millia conuerterentur, & baptiſmum communi clamore poſtularent: qui omnes baptizati ſunt, &, iuxta promiſſionem Petri, ſimul Spiritum ſanctum acceperunt.

Iure in canone, *Non liceat*, diſt. 44. in Eccleſiaſticis Officiis Hora tertia *ſacra* appellatur; quippe quæ myſterio aduentus Spiritus ſancti, quo omnimoda in Eccleſiam ſanctificatio influxit, conſecrata fuerit, & in eiuſdem memoriam inſtituta. Ita

enim ſenſit S.Baſilius in Regulis fusè diſputatis,queſt.37. *Rurſus autem*,inquit,*iuxta tertiam horam ad orationem exurgamus, & fraternitatem congregemus, etiamſi alij ad alia opera ſint diuiſi: & recordati doni Spiritus,qui circa tertiam horam Apoſtolis datus eſt, oremus omnes vnanimiter; vt digni fiamus etiam ipſi ſuſceptione ſanctificationis, petentes ab ipſo deductionem ac doctrinam ad id quod vtile eſt, iuxta eum qui dixit,Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.* Et Baſilio adſtipulantur Amalarius lib. 4. de offic. Eccleſ.c.3. & Rabanus lib. 2. de inſtit.cler.c.4.

1 In die igitur Pentecoſtes, in Officio,ad Tertiam, celebratur memoria deſcenſus Spiritus ſancti in Apoſtolos & cœtum Diſcipulorum Domini, vnde ſpeciali ordine canitur tunc Hymnus, *Veni creator:* ſed proceſſio quæ fit poſt Tertiam, pertinet præcipuè ad commemorandum concurſum illum publicum ciuitatis Ieruſalem ad locum vbi id miraculi acciderat; vt fideles, Iudæorum recens conuerſorum exemplo, cónuenientes in ſanctam domum Apoſtolicam,id eſt,Eccleſiam,effuſionis Spiritus ſancti ſimiliter particeps fiant. *Ac per hoc*(vt Bedę verba vſurpemus ex Homilia in feſtiuit. Pentecoſt.) *non ſo-*

lùm veteris facti recordatio, verùm etiam in nouos adoptionis filios nouus in ea Spiritus ſancti celebratur aduentus. Idcirco proceſſio iſta terminatur Antiphonâ, *Veni ſancte Spiritus*, quæ ſolenniter cantatur in Statione genibus flexis, ad inuocandam gratiam Spiritus ſancti.

Vbi obiter notandum eſt, in hoc Feſto flecti quidem genua dum canuntur Hymnus, *Veni creator*, & Antiphona ſeu Verſus, *Veni ſancte Spiritus*, ad maiorem reuerentiam adorationis Spiritus ſancti; quaſi eo momento viſibiliter illabentis in Eccleſiæ cœtum; & vt conuenienti humiliatione corda fidelium præparentur ad recipiendam gratiam Spiritus ſancti: ſed in reliquis precibus & Officiis Eccleſiaſticis per totam hebdomadam Pentecoſtes nullam genuflexionem fieri. Id enim priſcũ eſt Eccleſiæ inſtitutum, vt tradunt; S. Iuſtinus Martyr. Reſp. ad quæſt. 115. Orthodox. Hieronymus Prolegomenis in Epiſt. ad Epiphan. S. Auguſtinus Epiſt. 119. c. 15. Ordo Romanus in nocte Pentecoſtes, Amalarius lib. 1. de Eccleſ. Offic. c. 39. Micrologus de Eccleſiaſt. obſeruat. c. 58. Durandus Rational. lib. 6. c. 107. & expreſſiſſimè Beda Homilia ſuper Dominica, *Exaudi*, quæ ſic habet: *Verùm hoc quoque, quòd non ſtatim peracta die quinquage-*

Digitized by Google

ſima (quæ eſt Dominica Pentecoſtes) *genu ad orandū curuamus, ſed & illa adhuc ſeptimana ſtantes Domino ſupplicamus; & quamuis intermiſſa repetentes ieiunia, tamen Alleluia quotidie perſonamus; nemo abſque diſcretione apta, & congrua ratione myſterij, putet actitari. Quia enim Spiritus ſancti ſeptiformis eſt gratia, iure ſolennitas aduentus eius per ſeptem dies laude Hymnorum debita, ſimul & Miſſarum celebratione, colitur*: Et paulò inferiùs: *Meritò etiam tunc ſtantes oramus, ob ſignificationem videlicet liberationis eorumdem* (Neophytorum in Sabbato Pentecoſtes baptizatorum) *quia, per donū Spiritus ſancti, de morte animæ ad vitam reſuſcitari ac reſurgere meruerunt.* Ratio generalis eſt, quia perſeuerat tempus Paſchale vſque ad ſequens Sabbatum poſt Nonam, vt notat Breuiarium Romanum eo loco: ideóque per totam hebdomadam Pentecoſtes frequentatur *Alleluia*, & vniuerſum Officium fit more Paſchali, ex inſtitutione S. Gregorij, vt tradit Micrologus libro citato, c. 54. & vſque in dictum Sabbatum canitur Antiphona, *Regina cœli*, in fine Horarum.

Quod autem dicti Auctores docent, propter myſticum numerum ſeptem donorū Spiritus ſancti ſeptem tantùm diebus cebrari ſolennitatem Pentecoſtes, id etiam

tradunt Honorius in Gemma, lib. 3. c. 149: & Hugo à S. Victore Eruditionis theolog: lib. 3. c. 36: & Clemens tertius in c. *Capellanus*, de feriis, ſeptem tantùm dies tribuit Feſto Pentecoſtes, & dicit illud carere Octaua. Ad cuius rei ſignificationem Eccleſia Andegauenſis in Sabbato ſanctæ Trinitatis, ad Stationem veſpertinam cantare ſolet Antiphonam, *Hodie completi ſunt dies Pentecoſtes.*

Cæterùm, quia in omnibus fermè parochialibus Eccleſiis non canitur Officium Tertiæ; vt in iis vtrumque myſterium deſcenſus Spiritus ſancti, in Apoſtolos videlicet, & in plebem ex variis nationibus congregatam, ritè celebretur, in iis ante proceſſionem cani ſolet genibus flexis Hymnus, *Veni creator*, quo prior deſcenſus repræſentatur.

De Proceſſione in Feſto Corporis Chriſti.

CAPVT XXV.

DE Feſto Conſecrationis Corporis Chriſti, & proceſſione quæ in eo celebrari ſolet, ſic pronuntiat Concilium Tridentinum

Tridentinum Seſſ.13.c.5. *Declarat præterea ſancta Synodus, piè & religiosè admodum in Dei Eccleſiam inductum fuiſſe hunc morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die, præcelſum hoc & venerabile Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, vtque in proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquiſsimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cùm Chriſtiani omnes, ſingulari ac rara quadam ſignificatione, gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur. Ac ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere: vt eius aduerſarij in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.*

Feſtum quidem per vniuerſam Eccleſiam celebrari ſpeciali ac ſolenni ritu feria quinta proxima poſt Octauam Pentecoſtes, ſub præcepto ſanxit Vrbanus quartus Pontifex maximus, vt patet ex eius Conſtitutione, quæ habetur tit. *de Reliquiis & veneratione Sanctorum*, in Cle-

mentinis, his verbis: *Vniuerſitatem veſtram monemus & hortamur in Domino, & per Apoſtolica ſcripta in virtute ſanctæ obedientiæ diſtrictè præcipiendo mandamus, in remiſsionem peccaminum iniungentes, quatenus tam excelſum & tam glorioſum Feſtum, prædicta quinta feria, ſingulis annis deuotè ac ſolenniter celebretis, & faciatis ſtudioſè per vniuerſas Eccleſias ciuitatum veſtrarum & diœceſum celebrari; ſubditos veſtros in Dominica dictam quintam feriam proximè præcedente ſalutaribus monitis ſollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confeſſionem, eleëmoſynarum largitionem, attentas & ſedulas orationes, & alia deuotionis & pietatis opera, taliter ſe ſtudeant præparare, quòd huius pretioſiſsimi Sacramenti mereantur fieri participes illa die, poſsintque ipſum ſuſcipere reuerenter, ac eius virtute augmentum conſequi gratiarum. Nos enim Chriſti fideles ad colendum tantum Feſtum & celebrandum donis volentes ſpiritualibus animare, omnibus verè pœnitentibus & confeſsis, qui Matutinali Officio Feſti eiuſdem in Eccleſia interfuerint, pricentum; qui verò Miſſæ, totidem; qui in primis Veſperis, ſimiliter centum; qui in ſecundis, totidem; illis verò qui Primæ, Tertiæ, & Sextæ, Nonæ ac Completorij Officijs interfuerint, pro qualibet Horarum ipſarum quadraginta;*

illis autem qui per Octauas illius Feſti Matutinalibus, Veſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum Officijs interfuerint, centum dies ſingulis Octauarum ipſarum diebus, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Apoſtolorum ipſius Petri & Pauli, auctoritate confiſi, de iniunctis ſibi pœnitentijs relaxamus. Et idem refertur à S. Thoma Opuſculo 57. in Officio eius diei, quod ipſe iuſſu eiuſdem Vrbani compoſuit.

Rationes inſtituendi (vt ex eadem Conſtitutione patet) quatuor fuêre. Prima, quòd, cùm ſanctiſſimum Sacramentum à Chriſto inſtitutum fuerit, vt eſſet in Eccleſia perpetuum memoriale ſummi ſui erga nos amoris, & potiſſimùm illius quam in paſſione monſtrauit excellentiſſimæ charitatis, æquum fuit tanto myſterio dignè & ſolenniter celebrando certum diem publico ritu conſecrari. Licèt enim in die Cœnæ inſtitutionis eius memoria in Miſſæ Officio recolatur; quia tamen eo die Eccleſia pœnitentium reconciliatione, Chriſmatis & Olei ſancti conſecratione, adimpletione Mandati Dominici circa lotionem pedum, & aliis eiuſmodi ritibus atque Officiis occupata eſt, idcirco plenè vacare non poteſt huius Sacramenti celebrationi, quod in fine Miſſæ recon-

dendum eſt, iuxta Conſtitutionem Innocentij Papæ: neque verò etiam id illius temporis ratio patitur, quod eſt tempus tenebrarum, luctus & lamentationis de traditione & morte Chriſti. Altera ratio; *vt, quod in quotidianis Miſſarum Officijs circa ſolennitatem eſt forſitan prætermiſſum, deuota diligentia ſuppleatur; & fideles, Feſtiuitate ipſa inſtante, intra ſe præterita memorantes, id quod in ipſis Miſſarum ſolennijs, ſæcularibus forſan agendis impliciti, aut aliàs ex negligentia vel fragilitate humana, minùs plenè geſſerunt, tunc attentè in humilitate ſpiritus, & animi puritate, reſtaurent.* Tertia, *ad confundendam ſpecialiter Hereticorum perfidiam & inſaniam.* Quarta tertiæ conſequens eſt, *ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei.*

Cur verò ei Feſto celebrando ſelecta fuerit feria quinta poſt Octauam Pentecoſtes, hanc cauſam reddit S.Thomas dicto Opuſculo 57. *Vt qui per totum anni circulum hoc Sacramento vtimur ad ſalutem, eius inſtitutionem illo tempore ſpecialiter recolamus, quo Spiritus ſanctus corda Diſcipulorum edocuit ad plenè cognoſcenda huius myſteria Sacramenti: nam & in eodem tempore cœpit hoc Sacramentum à fide-*

libus frequentari. Quippe in Actibus Apoſtolorum c. 2. S. Lucas ſcribit, ſtatim poſt illapſum in Apoſtolos Spiritum ſanctum, fideles aſſiduè verſatos fuiſſe in communione ſanctæ Euchariſtiæ: *Qui ergo*, inquit, *receperunt ſermonem eius, baptizati ſunt: & appoſitæ ſunt in die illa* (Pentecoſtes) *animæ circiter tria millia. Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus.*

Qua autem occaſione adductus fuerit Vrbanus ad hoc Feſtum inſtituendum, id ipſe obſcurè inſinuat in ſua Conſtitutione: *quòd* ſcilicet, *dum in minori officio eſſet conſtitutus, intellexiſſet quibuſdam Catholicis diuinitùs fuiſſe reuelatum, Feſtum huiuſmodi generaliter in Eccleſia celebrandum.* Sed rei totius hiſtoriam diffusè narrant, Ioannes Dieſtemius Blærus Leodienſis in Tractatu à ſe de huiuſmodi reuelatione conſcripto, qui habetur editus in calce Magni Speculi exemplorum, & Bartolomæus Fiſen, Societatis Ieſu Theologus, in libello de origine prima Feſti Corporis Chriſti: nimirùm, ſanctæ cuidam virgini Ordinis Ciſtercienſis, nomine Iulianæ, apud Monaſterium Montis-Cornelij prope Leodium, cæleſti

quodam viſo inter orandum reuelatum fuiſſe huiuſmodi Feſtum in vniuerſa Eccleſia celebrandum eſſe: cúmque de ea reuelatione illa poſt vigeſimum tandem annum Iacobum Pantaleonem, Eccleſiæ Leodienſis Archidiaconum, (qui poſtea ad ſummum Pontificatum euectus Vrbani quarti nomen ſumpſit) Hugonem de Sancto Caro Prouincialem Ordinis Sancti Dominici, Guiardum Epiſcopum Cameracenſem, Cancellarium Academiæ Pariſienſis, atque alios pleroſque Theologos, & ſanctos viros conſuluiſſet; rem eorum iudicio probatam fuiſſe, & Feſtum auctoritate Roberti Epiſcopi Leodienſis in ſua diœceſi inſtitutum anno ſalutis 1246. Deinde verò, anno Pontificatus Innocentij quarti decimo, eiuſdem obſeruationem ab eodem Hugone, iam tum Cardinali & Sedis Apoſtolicæ Legato, per vniuerſam Germaniam edictam; ac ſubinde anno ſalutis 1254. literis Petri Capoccij, Cardinalis & Legati Apoſtolici, confirmatam: ac demum ab Vrbano quarto, in eam rem iam ex prædicta reuelatione inclinante, exorta noua quadam occaſione prodigij apud Vulſinium ſuper conſecratione hoſtiæ facti anno 1264. Pontificatus ipſius tertio & extremo (vt patet ex eiuſdem Epiſtola ad Euam reclu-

ſam apud Dieſtemiũ art. 8. & verſu Thierrici Vallicoloris, qui eo tempore ſcripſit,

Hócque ſui terno Papatus fecit in anno) vniuerſæ Chriſti Eccleſiæ auctoritate Apoſtolica præceptam fuiſſe, & Feſtum ipſum ab eodem cum omni ſplendore ac ſolennitate Vrbe-veteri in Thuſcia celebratum, vt eadem Epiſtola continetur.

Vrbani ea de re Conſtitutionem confirmauit Clemens quintus in Concilio Viennenſi, vt conſtat ex eodem, c. vnico, Clement. *de Reliq. & venerat. Sanct.* quod Gloſſa in eum locum ſcribens dicit ab eo factum eſſe, quia illa Vrbani Conſtitutio ab omnibus recepta non erat. Probabile tamen eſt ex dicta Vrbani Sanctione, vt pote facta in Gallia, eius Feſti obſeruationem in Eccleſias Gallicanas breuî receptam fuiſſe: quandoquidem Papirius Maſſonus lib. 5. de Epiſcopis vrbis, in vita Vrbani quarti, refert ex vetuſtis annalibus, id in Gallia coli cœptum anno Chriſti milleſimo tercenteſimo decimo octauo, qui fuit quartus poſt obitum Clementis quinti. Et ex Concilio Senonenſi habito anno Domini 1320. conſtat eiuſdem Feſti celebrationem iam eo tempore in more prouinciæ Senonenſis fuiſſe. Sic enim habet. *Statuimus, ac etiam*

ordinamus, vt quilibet Diœceſanus in ſua diœceſi plebem à Deo ſibi commiſſam, tam per ſe, quàm per alios, loco & tempore congruis, ſalutaribus monitis inducat, vt quarta feria præcedente feriam quintam poſt Octauas Pentecoſtes, qua ſummi & magnifici Corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti Sacramenti memoria celebratur, ad honorem tam pretioſiſſimi Sacramenti, ac ipſarum plebium ſalutem animarum, ſe ab eſu carnium abſtineant, & ieiunent: omnibúſque ieiunantibus, veréque pœnitentibus & confeſſis, in remiſsionem ſuorum peccatorum, quadraginta dies de iniuncta ſibi pœnitentia duximus concedendos; totidémque eiſdem à quolibet Diœceſano in diœceſi ſua auctoritate Concilij huius concedantur. Circa verò proceſsionem ſolennem, quæ dicta feria quinta fit à Clero & populo in delatione dicti Sacramenti his diebus, cùm quodammodo diuina inſpiratione introducta videatur, nihil quoad præſens iniungimus, deuotioni Cleri & populi relinquentes.

Martinus quintus eamdem Conſtitutionem ſpiritualibus gratijs auxit, *& ſingulis verè pœnitentibus & confeſsis, qui & quoties in ipſius Sacramenti profeſto ieiunium, vel loco illius aliud pium iuxta ſuorum conſilia Confeſſorum opus, fecerint,*

centum; & qui diuinis Officijs in Eccleſijs, in quibus illa celebrari contigerit, interfuerint, pro Matutinali ducentos, & pro Miſſæ Officio totidem, ac pro qualibet Veſperarum etiam ducentos; reliquarum verò, videlicet Primæ, Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, ac Completorij Feſti, octuaginta: rurſus autem in quibuſlibet Octauarum diebus, pro ſingulis Matutinalium, Miſſarum, & Veſperarum, ſimiliter centum; necnon reliquarum Horarum Officiorum huiuſmodi, quadraginta: Illis præterea qui proceſſiones, in quibus ipſum viuificum Sacramentum dicto Feſto deferetur, continuò ſecuti fuerint, ac quibuſlibet in Feſto & Octauarum diebus huiuſmodi pro pace & tranquillitate Eccleſiæ Miſſas deuotè celebrantibus, pro ſingulis ipſarum, necnon alijs in eodem Feſto Euchariſtiæ Sacramentum deuotè ſumentibus, etiam centum ſingulis annis, de iniunctis eis pœnitentijs relaxauit. Addidítque idem Pontifex hoc ſingulare priuilegium, *vt in Feſto & diebus Octauarum huiuſmodi, etiam in terris & locis Eccleſiaſtico interdicto quauis auctoritate ſuppoſitis, pulſatis campanis, ianuis apertis, & alta voce (excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis, vt citiùs reconciliari ſtudeant, admiſſis, & illis qui cauſam vel occaſionem huiuſmodi interdicti dederint), Altari tunc*

nullatenus appropinquantibus) Miſſæ & Officia licitè celebrari poßint. Eugenius autem quartus anno 1433. vtriuſque Pontificis Conſtitutiones confirmauit,& gratias à Martino conceſſas duplicans, *diebus ab eo relaxatis totidem dies indulgentiæ pariformiter à fidelibus conſequendæ adiecit.* Huius & Martini Conſtitutiones habentur in Bullario, tomo 1.

De proceſſione autem ſanctiſſimi Sacramenti nonnulli dubitant, an ab Vrbano ſimul cum ipſo Feſto inſtituta fuerit, quòd de illa ab eo in ſua Conſtitutione non fiat mentio: quaſi verò ſummi Pontifices ſoliti ſint in Feſtorum inſtitutionibus de ſingulis Officij Eccleſiaſtici partibus ſpeciatim præſcribere. Sed probabilius videtur, vtrique idem fuiſſe initium: quippe cùm publica proceſſio ex communi Eccleſiæ vſu ad Feſti ſolennitatem pertineat, vt ſuprà c. 18. notatum eſt. Vrbano autem in inſtitutione ea mens fuit, vt omni genere ſolennitatis, & *plenè*, vt loquitur, hoc Feſtum celebraretur. Et certè plauſus ille populorum, & publica omnium ordinum tripudiatio, exultatio & iubilatio, quæ in celebratione huius Feſti commemorantur ab Vrbano, non æquè videntur poſſe conuenire diuinis Officijs quæ ſtatariè in Choro à ſolis Clericis ca-

nuntur, ac pompæ ipſi proceſſionis: & in ſola euectione ſanctiſſimi Sacramenti, quæ fit procedendo per vias & loca publica, cernitur imago triumphi illius Chriſti, cuius cauſâ ipſemet Inſtitutor Vrbanus & Concilium Tridentinum dicunt inſtitutum fuiſſe hoc Feſtum, ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam & inſaniam. Atque in hac ſententia ſunt, Ioannes Laziardus in Epitome Hiſtoriæ vniuerſalis, c. 233. Hermannus Scheder in Chronicis, in ſexta ætate mundi, Philippus Bergomas in Supplemento Chronicorum, Onuphrius Panuinius Annotationibus ad Platinam, in vita Vrbani quarti, Federicus Nauſea in Catechiſmo Catholico lib. 6. c. 38. Ioannes Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii 5. Aprilis, Alfonſus Ciaconius in Vitis Pontificum & Cardinalium, in vita Vrbani 4. Henricus Spondanus in Continuatione Annalium Baronij, anno Chriſti 1264. qui docent, *Vrbanum inſtituiſſe ſolennitatem Corporis Chriſti cum proceſſionibus & Octauis à cunctis fidelibus celebrari*: quanquam Dieſtemius art. 9. ſcribit, Ioannem vigeſimum ſecundum, vltra Ordinationem Vrbani Clementinis inſertam, nouas indulgentias conceſſiſſe, atque proceſſionem ordinâſſe. Sed eius

rei nulla prorſus mentio in Conſtitutionibus Ioannis, ſiue quæ inter Extrauagantes, ſiue quæ in Bullario habentur: neque veriſimile eſt, eum, quando ſuas illas Cõſtitutiones corpori Iuris inſeruit, tanti momenti Ordinationem omiſſurum fuiſſe, ſi illam edidiſſet, cùm ipſe Conſtitutiones Vrbani & Clementis de eiuſdem Feſti inſtitutione & celebratione non omiſerit. Et certè verba Concilij Senonenſis, quæ ſuperiùs citauimus, videntur perſpicuè indicare, in vſu fuiſſe eam proceſſionem in Gallia ante Pontificatum Ioannis, qui electus fuit ſeptimo Idus Auguſti, anno 1316. Ex his patet, quàm longè à vero exerrauerint, qui prima initia huius proceſſionis retulerunt ad annum 1404. decepti verbis Donati Boſſij, qui in Chronicis ſuis ſcribit, die Iouis vigeſimo nono Maij eius anni, Corpus Chriſti ſolenniter per Papiam vrbem circumferri cœptum eſſe: quaſi quod tunc Papiæ nouum fuit, toti orbi antè ignotum & inuſitatum fuiſſe oporteret.

Huius proceſſionis ordo ac ritus omnis pertinet ad exhibendam oculis ſpeciem publici triumphi: in primis verò circumductio illa ſeu vectatio ſanctiſſimi Sacramenti hierotheca incluſi in humeris Sacerdotum, inſtar Arcæ fœderis, in vicem

currus triumphalis. Quem ritum, non recens inuentum, ſed iam inde à primis temporibus in Eccleſia vſitatum fuiſſe, docet Capitulum quintum Concilij tertij Bracarenſis, quod in hunc modum ſtatuit. *Bona quidem res eſt diuina Sacerdotibus cõtrectare myſteria: ſed cauendum valdè eſt, ne hoc quiſque ad vſum prauitatis ſuæ intorqueat, vnde ſoli Deo de bona conſcientia placere debuerat. Scriptum eſt enim, Væ his qui faciunt opus Domini fraudulenter & deſidiosè. Vt enim quorumdam Epiſcoporum deteſtanda præſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimendam, agnouimus quoſdam de Epiſcopis, quòd in ſolennitatibus Martyrum ad Eccleſiam progreſſuri Reliquias collò ſuo imponant, &, vt maioris faſtus apud homines gloria intumeſcant (quaſi ipſi ſint Reliquiarum Arca) Leuitæ albas induti in ſellulis eos deportent. Quæ deteſtãda præſumptio abrogari per omnia debet: ne ſub ſanctitatis ſpecie ſimulata vanitas ſola praualeat, ſi modum ſuum vniuſcuiuſque ordinis reuerentiæ non agnoſcat. Et ideo antiqua in hac parte & ſolennis conſuetudo ſeruabitur, vt in feſtis quibuſque diebus Arcam Domini cum Reliquijs, non Epiſcopi, ſed Leuitæ, in humeris geſtent, quibus & in veteri lege onus idem impoſitum nouimus eſſe & præceptum. Quòd ſi & Epiſcopus Reliquias per ſe deportare cle-*

gerit, non ipſe à Diaconibus in ſellula vehâtur, ſed potiùs, pediſſequa vnà cum populis progreſſione procedente, ad conuenticula ſanctarum Eccleſiarum ſanctæ Dei Reliquiæ per eumdem Epiſcopum portabuntur. En anno ſalutis ſexcenteſimo ſeptuageſimo quinto Concilium diſertè ſignificat, antiquam & ſolennem fuiſſe conſuetudinem geſtandi in humeris, & publico ritu honoris & adorationis cauſa, feſtis diebus, Arcam Domini, procedendo vnà cum populis ad Eccleſias ſanctas. Si iam tunc antiqua & ſolennis fuit illa conſuetudo, certum eſt aliquot antè ſeculis eius rei vſum in Eccleſia Catholica fuiſſe receptum & obſeruatum: quod quidem haud procul abeſt ab Apoſtolicis temporibus.

Ne quis verò hæreat in verbo *Reliquiarum*, quaſi de Martyrum Reliquiis accipiendum foret (qua in re non pauci offenderunt) ſcire opus eſt, vſum fuiſſe in primitiua Eccleſia, & ſubſequutis tẽporibus, vt ſanctum Domini Corpus, cùm aſſeruabatur, nomine *Reliquiarum* appellaretur, quaſi quod ex ſacrificio anteacto reliquũ ſupereſſet. Ea appellatione vſi ſunt, pręter alios, S. Clemens Romanus, beati Petri diſcipulus, Epiſt. 2. ad Iacobum fratrem Domini, & Conſtit. Apoſtol. lib. 8. c. 13. & 31. vbi vtitur verbo περισσευμάτων, & πε-

εἰσσευϑέντων εὐλογιῶν; S. Cyrillus Alexandrinus, qui præfuit Concilio Epheſino anno Chriſti 431. Epiſt. ad Caloſyrium, quę pręfixa eſt libro contra Anthropomorphitas, vbi vocat λείψανον; & Liturgia Præ-ſanctificatorum in Euchologio, quæ ſimiliter vocat ἅγια λείψανα, *ſanctas Reliquias*; & S. Germanus Cõſtantinopolitanus in Theoria myſtica, θεῖα λείψανα, *diuinas Reliquias*; & in Eccleſia Gallicana Concilium Matiſçonenſe ſecundum (habitũ anno 588.) quod c. 6. diſertè appellat *Reliquias ſacrificiorum*, & ſimpliciter *Reliquias*. Et, ſi verba Concilij Bracarenſis attendantur, clarum eſt, has denominationes quibus vtitur, *diuina myſteria quæ contrectantur à Sacerdotibus, ſanctæ Dei Reliquiæ, Arca Domini*, Reliquiis Martyrum conuenire nequaquam poſſe; ſed ſoli Euchariſtiæ Sacramento, quod Deum præſentem in ſe & cœleſtis cibi manna continet, cuius figura extitit Arca veteris Teſtamenti, quæ cum religione & reuerentia portabatur à Leuitis, quaſi Dei ſedes ex eius propitiatorio oracula edentis, & vota ſuorum exaudientis: dę quo ſolo Sacramento dici poteſt, quòd in eo diuina myſteria contrectentur à Sacerdotibus.

Hîc verò ſubit mirari, quid venerit in mentem Auctori cuidam ſcribenti media

in Gallia de cæremoniis Eccleſiaſticis, vt hunc morem geſtandi in humeris ſanctiſſimum Sacramentum corruptelæ & abuſus damnaret. Itáne corruptelam & abuſum vocemus, ritum à Deo inſtitutum Exodi 25? ritum à Sacerdotibus & Leuitis in veteri lege ex mandato Dei ſæpius obſeruatum, Ioſue 6. 3. Regum 8. 1. Paralipom. 15. & 2. Paralipom. 5? ritum ante mille paulo minùs annos in Concilio celebratiſſimo, pro antiquo & ſolenni, id eſt, pro traditione Eccleſiaſtica, commemoratum? ritum ab omni memoria per Galliarum prouincias, atque adeo in ipſa religioſiſſima, & regina ciuitatum Lutetia, in oculis tot Pontificum & Theologorum, cum ſumma antiquitatis reuerentia, publica omnium ordinum conſenſione & comprobatione, retentum ac celebratum? ritum denique per vniuerſam Eccleſiam in deferendis Sanctorum imaginibus & Reliquiis, ab ipſis etiam ſummis Pontificibus, omnibus ſæculis vſitatum? *Illud breuiter te admonendum puto* (ait S. Hieronymus ad Lucianum, & habetur diſt. 12.) *traditiones Eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiant, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt; nec aliquorum conſuetudinem aliorum contrario more ſubuerti.*

Ad

Ad eumdem modum in Eccleſia Græca antiquus mos fuit, quoties myſteriorũ Præſanctificatorũ Miſſa celebranda eſſet, vt Sacerdos, ſacris veſtibus indutus, hoſtiam conſecratam capiti venerationis ergô impoſitam in diſco velo cooperto geſtans, ac longiore circuitu per Eccleſiam lentè & compoſito inceſſu progrediens, eam à tabernaculo ſeu reconditorio ad menſam propoſitionis à latere Altaris inſtructam deferret. (vnde poſtea Altari ad rem ſacram faciendam inferretur) præeuntibus cereis accenſis, & Diacono capite reuerenter inclinato thus adolente; populus verò intereà flexis genibus in adorationem procumberet, Præpoſito Eccleſiæ ter inclamante, *Venite, adoremus*; & Choro ſubinde accinente, ἰδοὺ θυσία μυστικὴ, ἐ τετελειωμένη, id eſt, *Ecce ſacrificium myſticum, & conſummatum*. Id conſtat ex Liturgia Ante-conſecratorum; & eiuſdem Declaratione, quæ habentur in Euchologio, & tomo 6. Bibliothecæ Patrum, ex Theoria myſtica rerum Eccleſiaſticarum Sancti Germani Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, ex Nicolao Cabaſila in Expoſitione Liturgiæ, c. 24. & Arcudio lib. 3. de concordia Eccleſiæ Occident. & Oriental. c. 19. 57. & 58. Et hæc ſanctæ Euchariſtiæ circumgeſtatio, in Expoſitione

Liturgiæ Præ-ſanctificatorum, appellatur πρόοδος τῶν ἁγίων δώρων, *proceſsio ſacrorum donorum.*

Cæteræ circumſtantiæ, quæ ad apparatum huius triumphi pertinent, & in Sacro Andegauenſi obſeruantur, hæ ſunt: pegmata, ſeu machinæ geſtatoriæ, circumlucentibus in ſummo cereis, in quibus Chriſti miracula & myſteria, ſancti Sacramenti figuræ & inſtitutio, ac variæ ſimilis argumenti hiſtoriæ ex vtroque Teſtamento, cereis ſimulacris expreſſæ, ſpectantur: item alia pompæ fercula, cruces, vexilla, Sanctorum imagines, & inſignia quæ à ſodalitiorum magiſtris & ſigniferis præferuntur; ſerta, feſtæ frondes, corollæ è floribus in capitibus puerorum ſymphoniacorum & aliorum Eccleſiæ adminiſtrorum; viæ linteis & velis inſtar perpetui conopei contectæ, & floribus omnis generis atque herbis odoratis conſtratæ; parietes vtrinque prætenti aulæis & ramis virentibus; longus ille ordo procedentis Cleri & populi, cum facibus, funalibus, & cereolis ardentibus, ad modum illius ignis qui olim, pro ſymbolo regiæ maieſtatis, Imperatoribus publicè procedentibus præferebatur, vt eſt apud Herodianum lib. 2. Hiſtoriarum, & Codinum lib. de offic. Conſtant. c. 6. vbi Lampadarius appellatur

is qui eiuſmodi ignem ſeu lampadem ardentem geſtabat; lampadem, inquam, cuius ſumma pars cinnabari tincta, media inaurata erat, inſertis in orbem cruciculis coccineis, & duplici corona circumducta, vt eſt apud eumdē Codinum, & Balſamonem in Melete prima de priuilegiis Patriarcharum. Quo genere luminis ſignificatur profeſſio publica fidei de diuinitate & gloria Regis triumphantis, qui eſt *Splendor gloriæ Patris*, Hebr. 1. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, Ioan. 1. *&* *Lux mundi*. Ioan. 8. & 9. Qua de cauſa etiam Honorius tertius, c. *Sane*. de celebr. Miſſ. vult, ſemper lumen præcedere, quando ſalutaris hoſtia defertur ad infirmos. Deinde chori fidicinum, cornicinum, tubicinum, ac tibicinum; & omnis generis muſicorum, ante currum triumphalem, id eſt, ante Arcam Sacramenti, ludentium in omnibus lignis fabrefactis, & citharis & lyris, vt 2. Reg. c. 6. & 1. Paralip. c. 13. atque in primis feſtiuæ Sacerdotum & Clericorum acclamationes, cum lætitia canentium ſacros Hymnos, inſtar ſolennis illius carminis, *Io triumphe*; tabernacula, quæ ſecundum viam plerìſque in locis per interualla exſtruuntur, ad faciendas ſtationes, in morem arcuum triumphalium; concio pu-

blica de honoribus victori Imperatori Chriſto decernendis; ſacrificium ſolenne ad Altare; ac poſtremò epulum publicum Senatui populóque Christiano, magna videlicet illa cœna, omni genere deliciarum inſtructiſſima, quam fecit Rex regum homo Deus, omnibus inuitatis ſe in cibum & vitam præbens; ad quam cœnam publica hortatione inuitari fideles Dominica Feſtum præcedente iuſſit Vrbanus in ſua Conſtitutione. Reliquum foret ad perfectam imaginem triumphi, vt in ſingulis vrbibus via, qua euehitur hæc Chriſti triumphantis proceſſio, *Via triumphalis* more Romano appellaretur. Vniuerſum ordinem & pompam huius triumphi, iuxta ritum Eccleſiæ Andegauenſis, eleganter admodum & graphicè deſcripſit Ludouicus Cellotius, Profeſſor Societatis Ieſu, in libro tertio Mauritiados.

Atque hæc quidem ſunt publicæ celebritatis ac lætitiæ, & externæ adorationis ſigna. Quibus autem deuotionis atque internæ pietatis officiis Regem ſuum triumphantem hac die proſequi debeant fideles Chriſtiani, egregiè explicat S. Thomas Opuſc. 57. his verbis: *Conuenit itaque deuotioni fidelium, ſolenniter recolere inſtitutionem tam ſalutiferi támque mirabilis Sacramenti: Vt ineffabilem modum diuinæ præſentiæ in Sa-*

cramento viſibili veneremur; & laudetur Dei potentia, quæ in Sacramento eodem tot mirabilia operatur; nec non & de tam ſalubri támque ſuaui beneficio exoluantur Deo gratiarum debitæ actiones. Quæ eadem ſententia eſt ſacro-ſancti Concilij Tridentini, loco antè citato: vt *Chriſtiani omnes, ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentatur.* Ad hos actus religionis referenda ſunt omnia quæ in hac ſolennitate fiunt.

Cæterum, ad debitam huius proceſſionis ſanctificationem, operæ pretium foret in vſum reuocare decretum Concilij Mediolanenſis quarti, quod habetur ſuperiùs c. 3. vt omnes ſanctiſſimum Sacramentum venerabundi proſequantur, non verò, quaſi ad otioſum aut ludicrum ſpectaculum vocati, id è feneſtris, aut officinis ſeu tabernis, proſpectent.

De Proceſsione veſpertina in Feſto, Aſſumptionis B. Mariæ, pro Rege & Regno.

CAPVT XXVI.

VT ſingulis regnis ſuos dedit Deus præſtites Angelos ac tutelares, qui ea tueantur atque cuſtodiant, Daniel c. 10. Dionyſius Areopag. c. 9. cæleſt. hierarch. Clemens Alexandr. lib. 6. Stromat. ita Regibus ac Principibus ſolenne eſt, è numero Sanctorum in cælo regnantium certos ſibi ſuiſque ciuitatibus ac regnis patronos deligere, in quorum tutela ſint.

Conſtantinus Imperator (vt eſt apud Nicephorum lib. 8. Hiſt. Eccleſ. c. 26. & Zonaram tertia parte Annalium, in Conſtantino Magno) cùm Byzantij ſedem imperij ſui collocare decreuiſſet, eam vrbem Dei Genitrici dicauit, ac de ſuo nomine Conſtantinopolim appellauit, accerſitis è Concilio Nicæno Epiſcopis, qui eius Dedicationis ritum ſolenni more peregerunt: in cuius rei memoriam Encæniorum ſolennitas, quaſi Natalis vrbis, (vt appellatur in Anthologio,

& à Zonara) exinde in Eccleſia Græca ſingulis annis celebrari conſueuit die vndecima Maij, vt conſtat ex vtroque Menologio, vbi Dedicationis annuæ hæc formula habetur: τῆς θεοτόκου ἡ πόλις, τῇ θεοτόκῳ προσφόρως τὴν ἑαυτῆς ἀνατίθεται σύστασιν: ἐν αὐτῇ γὰρ ἐστήρικται καὶ βασιλεύει; δι' αὐτῆς περισώζεται, κραταιοῦται, καὶ διαμένει; βοῶσα πρὸς αὐτὴν, χαῖρε ἡ ἐλπὶς πάντων τῶν περάτων τῆς γῆς: Id eſt, *Dei Genitricis vrbs, Dei Genitrici ſuam conſtitutionem propenſis ſtudiis dedicat: in ipſa enim firma ſtat, & regnat; per ipſam incolumis ſeruatur, potens eſt, & permanet; ei acclamans, Aue ſpes omnium finium terræ.*

Eadem religione motus Sanctus Stephanus primus Hungarorum Rex, vt primùm regio diademate coronatus eſt, ſe ac regnum ſuum publico voto ſanctiſſimæ Virginis Mariæ nomini ac tutelæ conſecrauit: inque eius rei memoriam Albæ, quæ regia Hungarorum ciuitas eſt, baſilicam inſigni opere atque ornatu eius honori exædificauit: ex quo illi deinceps eam Dominam indigitarunt, & ſolennitatem Aſſumptionis eiuſdem *Feſtum Dominæ* appellarunt, vt ſcribit Chartuitius in eius vita apud Surium.

Conſtantinianæ ac Stephanianæ pietatis imitator Ludouicus tertius-decimus, Galliæ

rum & Nauarræ Rex inuictiſſimus, cùm, euerſa rebellantium hæreticorum coniuratione, Regni magnam partem hæreſum contaminatione purgâſſet, & inſtauratis templis atque Altaribus, legitimíſque ſacris reſtitutis, quaſi alter Iudas Machabæus, nouum veluti templum imperij ac ditionis ſuæ Deo ſanctificare inſtituiſſet, anno ſalutis milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo octauo, ſe ac populum regnúmque ſuum, atque adeo vniuerſam rem Francicam, in clientelam Deiparæ Virginis ſolenni voto dedit & dicauit, eámque Patronam regni publico edicto declarauit, cuius ope ac præſidio ſingulari rem à ſe eo bello proſperè geſtam plurimis experimentis cognouerat; atque, in monumentum eius rei, proceſſionem per vniuerſam Galliam ſingulis annis die feſto Aſſumptionis eiuſdem Virginis fieri iuſſit. Cuius pietati obſecundans Claudius Epiſcopus Andegauenſis, ſicut olim Paralip. lib. 2. c. 29. mandante Rege Ezechia, in renouatione & purificatione templi Ieroſolymitani, Sacerdotes & Leuitæ omnis generis ſacrificia obtulerunt, *pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda*: ita ille de conſilio Capituli ſui ſtatuit, quotannis ipſo Feſto Aſſumptionis B. Mariæ, poſt Veſpertinum Officium, ſolennem proceſſionem,

in omnibus Eccleſiis Diœceſis, tam Cathedrali, Collegiatis & parochialibus, quàm Monaſteriis, celebrari; in qua preces Deo fundantur, pro ſalute & incolumitate Regis, pro pace & tranquillitate Regni, & proſpero ſtatu eiuſdem; & ſimul agantur gratiæ de omnibus beneficiis in Regem Regnúmque collatis; ac de integro, nouâ veluti Dedicationis formulâ, vtriuſque tutela eidem Virgini commendetur; & populus ſalutaribus hortamentis inuitetur ad Feſtum Aſſumptionis ſingulari deuotione celebrandum, & Dei Genitricem, vt Patronam Galliæ ac Dominam, ſpeciali veneratione & cultu proſequendam.

Porrò, quòd plures Patroni eidem Regno ſucceſſiuè aſſumantur (vt hîc beatiſſima Virgo poſt Sanctos Michaëlem, Dionyſium, & Remigium) id deriuatum eſt ex antiquo ritu Eccleſiæ: quæ, quoties templorum Dedicationem renouat, toties nouos iis Patronos ac tutelares Sanctos adſciſcit; vt cernere eſt in Eccleſia Andegauenſi, quæ primùm Deo dicata ſub nomine & patrocinio beatiſſimæ Virginis, in ſecunda Dedicatione Sancti Mauritij & ſociorum à ſancto Martino, in tertia Beati Maurilij memoriæ ab Huberto Andegauenſi Epiſcopo ſacrata fuit: itémque in Eccleſia Turonen-

ſi, quæ Mauritium & Gatianum; & in Cenomanenſi, quæ Geruaſium, Protaſium, & Iulianum, Patronos ſucceſſiuè aſſumpſit.

De Proceßionibus menſtruis, anniuerſariis, & aliis ſimilibus.

CAPVT XXVII.

IOb, veritus ne filij ſui quid piaculi mutua viuendi conſuetudine contraherent, ſeptimo quoque die eos ad ſe conuocare, & certo ritu precibus ac ſacrificiis expiare ſolitus erat, Iob. c.1. In lege autem Moſaïca, Leuit. c. 23. quotannis decimo die menſis ſeptimi, id eſt, Septembris, Feſtum Expiationum celebrabatur, in quo publico ieiunio & propitiatoriis ſacrificiis peccata populi toto anno commiſſa procurabantur. Ad eumdem modum ſancta mater Eccleſia, pro filiorum ſalute ſollicita, ſtatis temporibus ſuos celebrat Expiationum dies, quibus eorum noxas & crimina expiare, iram Dei placare, & eius miſericordiam benignitatémque iis conciliare ſolet, publicis tum ieiuniis; tum orationibus & ſacrificiis: vt, iuxta Concilium Toletanum quin-

ſtum, c. 1. *quoniam, abundante iniquitate, & deficiente charitate, eouſque protelatur malitia, vt noua exerceantur facinora, noua quoque hæc ipſa ſurgat conſuetudo, quæ poßit ante omnipotentis Dei oculos noſtra eſſe purgatio.* Sic ſeptimo quoque die, nempe Dominico, purgandis ſingularum hebdomadarum piaculis, ſolenne ſacrum, & luſtrationem publicam aquæ ſanctæ ſparſione, per Eccleſias parochiales celebrat: qua ratione Stephanus tertius, apud Anaſtaſium Bibliothecarium, pro ſalute prouinciæ, & omnium Chriſtianorum, omni Sabbatorum die litaniam fieri ſtatuit. Sic per ſingulas anni tempeſtates Ieiunia, quæ appellantur Quatuor temporum, obſeruat, ſingulis menſibus ſingulos dies conſecrando, ait Ordo Romanus: de quibus Ieiuniis ita Sanctus Leo Serm. 9. de ieiunio ſeptimi menſis: *Ideo ipſa continentiæ obſeruantia quatuor eſt aßignata temporibus, vt in idipſum totius anni redeunte decurſu, cognoſceremus nos indeſinenter purificationibus indigere; ſemperque eſſe nitendum, dum huius vitæ varietate iactamur, vt peccatum, quod fragilitate carnis & cupiditatum pollutione contrahitur, ieiuniis atque eleemoſynis deleatur.* Sic proceſſiones generales, quæ certis diebus per annum concurſu ciuitatum & Eccleſiarum fiunt,

In hoc genere ſunt illæ,quæ apud nos in primis Dominicis menſium celebrantur, deriuatæ (vt conjicere licet) ex c.6. Concilij Toletani decimi-ſeptimi,quod ſic habet: *Ideo ſecundum Euangeliſtam, qui ait, Vigilate & orate, ne intretis in tentationem, in commune ſtatuentes decernimus, vt deinceps per totum annum in cunctis duodecim menſibus, per vniuerſas Hiſpaniæ & Galliarum prouincias, pro ſtatu Eccleſiæ Dei, pro incolumitate Principis noſtri, atque ſaluatione populi, & indulgentia totius peccati, & à cunctorum fidelium cordibus expulſione Diaboli, exomologeſes votis gliſcentibus celebrentur: quatenus, dum generalem omnipotens Dominus afflictionem proſpexerit, & delictis omnibus miſeratus indulgeat; & ſæuientis Diaboli incitamenta ab animis omnium procul efficiat.* Quo loco animaduertendum eſt,ex Concilio Moguntino habito ſub Leone tertio, c.32. ſupplicationes publicas, quæ fiunt pro remiſſione peccatorum, olim ſpeciali nomine *exomologeſes*, id eſt, confeſſiones, appellari ſolitas fuiſſe: quòd in eis Chriſtiani, quaſi rei confitentes peccata ſua, publicè pœnitentiam agerent.

Ad hoc genus etiam pertinent proceſſiones anniuerſariæ: cuiuſmodi ſunt verno tempore Litaniæ maior & minor: & illæ

quas in Gallia Concilium Lugdunenſe primum, c. 6. prima hebdomada noni menſis, id eſt, Nouembris, quoque anno celebrari ab omnibus Eccleſiis ſeu parochiis ſanxit: quas in Hiſpania Concilium Gerundenſe proxima hebdomada poſt Pentecoſten, per triduum à feria quinta in Sabbatum, & quas Calendis Nouembribus ſimili ordine, cum abſtinentia à carnibus & vino, celebrari ſtatuit; & quas ſimiliter Concilium Toletanum quintum, c. 1. *iuſſit omni tempore vbique annua ſucceſſione peragi triduo à die Iduum Decembrium, vt indulgentia delictorum lacrymis impetretur*: ea quam deſcribit Sidonius Apollinaris Epiſt. 17. lib. 1. *Conueneramus ad Sancti Iuſti ſepulcrum, ſed tibi infirmitas impedimento ne tunc adeſſes: proceſſio fuerat antelucana, ſolennitas anniuerſaria, populus ingens ſexu ex vtroque, quem capaciſſima baſilica non caperet, & quamlibet cincta diffuſis cryptoporticibus:* & quæ in ciuitate Andegauenſi fieri ſolet die feſto Sancti Sebaſtiani. Eodem referendæ ſunt aliæ omnes, quæ pro expiandis ciuitatibus ac populis, & publicis calamitatibus deprecandis, quocumque tempore celebrantur: de quibus habetur hoc Decretum Liberij Papæ, poſt eius Epiſtolas, tomo 1. Conciliorum: *Si euenerit fames, inæqualitas aëris, pe-*

ſtilentia, vel talis qualiſcumque tribulatio; ſtatim ieiuniis, eleemoſynis, & obſecrationibus, Domini miſericordia deprecetur. De earumdem indicendarum diebus ſic ſtatuit Concilium Mediolanenſe ſextum, c. *Quæ ad proceſsiones pertinent: Stati dies proceſsionum, quæ pro gratiarum actione fient, vt antiquis rituum monumentis traditum eſt, hi ſint: Dominicus ſcilicet dies, vel feria quinta. Si verò pro calamitatibus, peſte, bello, fame, aliiſque id generis, ſupplicandum eſt, proceſsiones publicæ agantur feria quarta, ſexta, & Sabbato.*

Fiunt etiam ſæpe proceſſiones anniuerſariæ, ad agendas Deo gratias pro publico aliquo beneficio: vt pro ciuitatibus aut prouinciis ſeruatis, ab obſidione vel peſte liberatis, aut ex hoſte receptis; pro inſigni aliquo miraculo, pro reſtituta religione & ſacris; in memoriam obtentæ victoriæ, tum denique pro quouis proſpero rerum ſucceſſu.

De Triduanis & Nouemdialibus Proceßionibus.

CAPVT XXVIII.

IOnæ c. 3. vbi iuxta Hebraicum textum legitur, *Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur;* tranſlatio Septuaginta Interpretum habet, *Adhuc tres dies, & Niniue ſubuertetur.* Et hanc lectionem ſequuti ſunt doctiſſimi è Græcis Patribus, Origenes Homilia 16. in Numeros, S. Athanaſius lib. de paſsione & cruce Domini, Ioannes Chryſoſtomus Homilia 27. in Geneſim, & Homilia 1. ac 10. de pœnitentia, Cyrillus Alexandrinus Commentario in Ionæ c. 3. & Homilia 1. de Feſtis Paſchalibus, Iſidorus Peluſiota Epiſt. 149. lib. 4. qui omnes ſcribunt, triduanum fuiſſe ieiunium ac pœnitentiam Niniuitarum, cuius intuitu veniam à Deo obtinuerunt: quod ante eos tradidit S. Clemens Romanus, Conſtit. Apoſt. lib. 5. c. vltimo. *Niniuitæ*, inquit, *facto ieiunio trium dierum, & totidem noctium, impendens diuinæ iræ periculum effugerunt.* Et idem ſentit Honorius in Gemma animæ, lib. 3. c. 139. Inde nata eſt antiquiſsima Eccleſiæ obſeruatio, vt

in grauioribus neceſsitatibus, ad exemplum Niniuitarum, triduana ieiunia, & triduanas ſupplicationes indicat. Hoc docet S. Iſidorus lib. 2. de Eccleſ. offic. c. 41. *Triduanis autem diebus ieiunare* (inquit) *de exemplo ſumptum eſt Niniuitarum: qui, damnatis priſtinis vitiis, totos ſe tribus diebus ieiunio ac pœnitentiæ contulerunt, & operti ſaccis Deum ad miſericordiam prouocauerunt.* Idem ſcribit Rabanus lib. 2. de Inſtitutis clericorum c. 26. Et hoc ex Apoſtolica traditione promanâſſe colligitur ex ieiuniis triduanis Quatuor temporum, quæ Apoſtolicis & legalibus inſtitutis electa fuiſſe aſſeuerat S. Leo Serm. 2. de ieiunio Pentecoſtes, & Serm. 8. de ieiunio ſeptimi menſis. Eius rei exempla frequentiſsima paſsim occurrunt. Apud Gregorium Turonenſem lib. 10. Hiſtor. Franc. & in Concilio Moguntino ſub Leone tertio, c. 33. ſupplicatio Litaniæ maioris cum ieiunio primùm indicta fuit in triduum, exemplo Niniuitarum, vt colligere eſt ex his verbis Sermonis S. Gregorij quem tunc habuit ad populum: *Veternoſas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abſterſit;* & ex Antiphona, *Timor & tremor,* quæ ex eiuſdem Sacramentario canitur in proceſsione eiuſdem Litaniæ: & eò ſpectat inſcriptio Homiliæ S. Maximi, *In Litaniis,*

&

& *de ieiuniis Niniuitarum*, quæ habetur inter Homilias æſtiuales. Ad eumdem modum Litania minor, quæ in hunc vſque diem manſit triduana, ad imitationem Niniuitici ieiunij inſtituta fuit, vt conſtat ex his verbis Sidonij Apollinaris ad ipſum Inſtitutorem Mamercum Ep.1. lib.7. *Ad noua celer veterum Niniuitarum exempla decurriſti.* Et ob hanc cauſam Syri Chriſtiani Rogationes vocant *Ieiunium Niniuitarum*, vt refert Genebrardus in Chronologia. Apud eumdem Gregorium Turonenſem lib. 9. eiuſdem Hiſtoriæ, pro ſananda lue inguinaria, quæ increbuerat in Gallia Lugdunenſi, ſupplicatio & ieiunium in triduum decernitur. In Concilio Gerundenſi, c.2. triduana abſtinentia poſt Octauam Pentecoſtes, & c. 3. litania per triduum in Calendis Nouembris, cum abſtinentia à carnibus & vino. In Concilio Bracarenſi ſecundo, c. 9. ante Natiuitatem Domini, per triduum cum Pſalmis per Sanctorum baſilicas ambulantes, celebrant litanias. In Concilio Toletano quinto, c. 1. omni tempore vbique annua ſucceſſione litaniæ triduo à die Iduum Decembrium peraguntur. In Concilio Turonenſi ſecundo, c. 17. triduum litaniarum in Calendis Ianuarij. In Matiſconenſi primo, c.9. ieiunium cum Miſſa ritu Quadra-

geſimali ternis feriis per ſingulas hebdomadas, à Feſto S.Martini vſque ad Natale Domini. Hadrianus Papa primus, apud Anaſtaſium Bibliothecarium in eius vita, triduana orandi perſeuerantia Tiberis inundationem coërcuit. Idem Epiſt. 8. Carolum Magnum inuitat ad perficiendas triduanas litanias in vniuerſis finibus regnorum ſuorum. Ipſe Carolus Magnus in Capitulari Interrogationum, c. 1. commemorat ſe anno præcedenti tria triduana ieiunia feciſſe. Ludouicus Pius in ſuo Capitulari tertio, c. 3. generale triduanum ieiunium ſecunda feria poſt Octauam Pentecoſtes celebrandum denuntiat. In Epiſtola Epiſcoporum ad eumdem Ludouicum in Concilio Pariſienſi ſexto, lib. 3. cùm mucro diuinus imperium interiùs exteriúſque multifariis attereret cladibus, triduanum ieiunium ad earum expiationem peragitur. In Concilio Metenſi triduanum ieiunium cum litaniis. Apud Nithardum lib. 3. hiſtoriæ diſſenſionis filiorum eiuſdem Ludouici, ipſe Ludouicus poſt victoriam triduanum ieiunium celebrat. In Epiſtola Concilij Moguntini primi ſub Rabano, triduanum ieiunium cum litaniis pro celebratione Concilij obſeruatur. In libro Sacramentorum Grimoldi Abbatis, in triduano ieiunio ternæ pro ſin-

gulis diebus habentur benedictiones ab Epiſcopis faciendæ. Apud Anaſtaſium Bibliothecarium in vita Benedicti tertij, Clerus & populus Romanus ieiuniis & orationibus tribus diebus & noctibus vacant, pro diſſoluendo ſchiſmate. Apud Petrum Caſſinenſem in Chronico, triduanum ieiunium cum orationibus & eleemoſynis, pro eligendo ſummo Pontifice. Et etiamnum viget ſancta conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, imperandi in tres ferias per ſingulas hebdomadas ieiunium, cum proceſſionibus & precibus, in generali Iubilæo. In legibus quæ feruntur Æthelredi regis Anglorum, iubetur omnis Chriſtianus, qui ætatem habet, ieiunare tribus diebus, ſcilicet Lunæ, Martis, & Mercurij, ante Feſtum S. Michaëlis, in pane & aqua, & herbis crudis: & omnis Presbyter ire cum populo ſuo ad proceſſionem tribus diebus, nudis pedibus. In Concilio Mediolanenſi quinto, iubetur *Epiſcopus, cùm primùm in locis finitimis peſtis graſſatur, certas ſtatáſque publicas proceſſiones triduanas, non ſemel, ſed iterum, atque adeo ſæpiùs, ſi opus erit, & in Vrbe, & in diœceſi indicere:* vbi etiam refertur præclarum hoc exemplum efficaciæ earum proceſſionum; *quòd, cùm ciuitas Mediolanenſis, funeſtæ peſtis contagio, varia multiplicique ſtrage diu affecta*

atque afflicta, tandem nullo alio remedio ſuſtentaretur, diuinitus liberata eſt publicarum proceſsionum & triduanarum ſupplicationum officiis, & ardentiſsimis pietatis pœnitentiæque ſtudiis atque operibus.

Et hæ quidem triduanæ ſupplicationes, vt alias ſuperant, tum perſeuerantia orandi, tum veneratione myſterij ſanctiſsimæ Trinitatis, & imitatione Niniuiticæ pœnitentiæ; ita præcipuam vim habere cenſentur ad placandum Deum, ſi cum ſeria conuerſione & ſincera deuotione fiant.

Sed in eo genere maximè inſignes ſunt Nouemdiales proceſsiones, quæ terna dierum triade cultum & reuerentiam ſanctiſſimæ Trinitatis multiplicantes, & orandi perſeuerantiam ipſa prorogatione augentes, & pœnitentiæ opera in longius ſpatium protendentes, vim quaſi afferunt diuinæ iuſtitiæ, & noueno impetu humiliationum ac precum ad eius indignationem expugnandam ſumma vi incumbunt. Ideo hoc ſupplicandi genus in maximis calamitatibus & grauiſsimis neceſsitatibus adhibetur, quaſi potentiſsimum & efficaciſsimum malorum remedium. Habet enim arcanam quamdam vim & velut ineluctabilem triplicata iſta ſuperbenedictæ Trinitatis inuocatio. Qua religione ductus S. Gregorius lib. 7.

Epiſt. ep.63. inſtituit, vt ſolennis illa precandi formula, *Kyrie eleiſon*, quæ ter ſolùm antè dicebatur, nouies in Miſſa repeteretur; imitatus ea in re cœleſtem Angelorum ſymphoniam, qui noueni ordinibus diſpertiti, Hymnum illum ternarium, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, aſſiduè concinentes, nouena multiplicatione gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis in perpetuas æternitates prædicant.

De Proceſſionibus ambarualibus.

CAPVT XXIX.

MOs eſt in ruſticanis parochiis ineunte vere agros luſtrare, & earum fines circumeundo ſupplicationes agere, vnde ab ambiendis arúis ambaruales dicuntur: de quibus Concilium Colonienſe c. 8. *Quòd proceſſiones per agros & campos peraguntur, rationem quidem habet, nempe quòd populus oret vt ſegetes ac fruges terræ à Domino conſeruentur.* Earumdem meminit Concilium Mediolanenſe primum c. de proceſſionibus & ſupplicationibus, & Rituale Romanum, *c. de proceſsionibus.*

In his duo præcipuè ſpectari poſſunt, cir-

cuitus ſeu obambulatio religioſa per agros, & oratio.

Circumeundi ritum habemus Ioſue c.6. vbi, Deo iubente, vniuerſus exercitus Iſraël ſex diebus vrbem hoſtilem Iericho circuiuit, certo ordine procedens cum Arca fœderis, Sacerdotibus ſeptem præeuntibus, & clangore tubarum quacumque incedebant perſonantibus: die autem ſeptimo, ſepteno circuitu adhibito, cùm ad ſtrepitum tubarum vniuerſi populi concitus clamor acceſſiſſet, repentè omnes vrbis muri conciderunt. Similiter lib. 2. Eſdræ, c.12. vbi in ſolennitate Dedicationis vrbis Ieruſalem, Sacerdotes cum magiſtratibus & populo circa muros proceſſionem agunt in hymnis & canticis. Inde exemplum ſumpſit Eccleſia circumeundi cum hymnis & precationibus ea loca, quæ benedici & ſanctificari, aut diuinæ protectionis præſidio aduerſus ingruentia mala muniri, aut aliàs virtute diuina percelli cupit: vt apud Dionyſium Areopagitam, Eccleſ. hierarch. c. 6. apud Euagrium, Eccleſ. hiſt. lib.4. c. 25. vbi notanda ſunt illa verba *(totum ſanctuarium circumiens, vti in ſtatis adorationis diebus fieri ſolebat)* apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Leone quarto, Gregorium Turonenſem Hiſtor. Franc. lib. 3. c. 29. lib. 1. de

gloria Mart.c.13. libro de vitis Patrum, c.4. & lib.de gloria Confeſſ. c.79. vbi, *ad arcendam peſtem, circumeunt Vrbem Remorum cum Vicis, nec prætereunt Vllum hoſpitium, quod non hac circuitione concludant*; apud Ioannem Chryſoſtomum Homilia 19. ad populum Antioch. in Triodio Græcorum variis locis; apud Aimoinum lib. 2. de geſtis Franc. c.19. Capitularium lib.5.c.120. in Ordine Romano, in ordine conſecrationis Eccleſiæ & Altaris; apud Honorium in Gemma animæ lib.1.c.70. in Concilio Mediolanenſi quarto, c.de proceſſionibus.

Oratio fit ad Deum, vt fructus terræ dare, conſeruare, & tempeſtiuè maturare dignetur; vt, aëre purgato, noxia quæque à ſegetibus, vineis, arboribus frugiferis, & pecoribus depellat; nebulas, tempeſtates, & peſtiferos ſyderum afflatus auertat. Quo precandi ritu, ſuo modo benedicuntur ruſtica prædia & poſſeſſiones, vt omnia in iis feliciter proueniant, iuxta benedictionem quam dedit Iſaac Iacob filio ſuo, Geneſ. 27. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & Vini.* Atque ideo præferuntur cruces & vexilla ſacra, quorum aſpectu territi Dæmones fugentur, ne quid exitij iis inferant: & in eumdem vſum adhibetur ſparſio aquæ benedi-

ctæ per agros, iuxta Concilium Nannetenſe, c.5 quod eam *per manſiones, & agros, & vineas, & ſuper pecora, atque ſuper pabula eorum, conſpergi ſtatuit*: & eius rei exempla ſunt apud ſanctum Gregorium in Sacramentario, in Oratione contra fulgura; apud Gregorium Turonenſem lib.1.de gloria Martyrum, c. 24. apud Petrum Damiani Epiſt. 15. de contemptu mundi, c. 18. ſicut in Ordine Romano ſcribitur de vſu ceræ benedictæ in Octaua Paſchæ: *Similiter*, inquit, *in ſuburbanis ciuitatibus de cereo benedicto faciunt, ad ſuffumigandum ſcilicet in domibus ſuis, ſeu ponendum in agris, vel in vineis, propter illuſiones diabolicas, ſiue contra fulgura & tonitrua.* Præmittuntur etiam ante ſigna miniſtri, qui manuales campanulas aſſidue pulſent, inſtar tubarum Iubilæi in Ierichuntina proceſſione clangentium; quibus ſignificatur vox Domini in virtute orationis confringentis cedros Libani, id eſt, aëreas poteſtates, quæ maleficiis ſuis aërem inficiunt, & morbos & calamitates immittunt: quamquam etiam iſto tinnitu circumquaque inuitantur accolæ, vt frequentes conueniant, & precantium ſe agminibus adiungant.

Vſitatum fuiſſe hoc genus proceſſionum in Eccleſia Catholica tempore ſancti

Gregorij Magni, ſuadet Sacramentarius eiuſdem, qui poſt Officium feriæ ſecundæ in Litania minore, ſub hoc titulo, *Orationes in campo*, ponit Orationes quatuor, quibus à Deo petitur, vt benedicat, cuſtodiat & defendat contra omnem infeſtationem inimici, non ſolùm fruges, ſed etiam fines ſeruorum ſuorum. Vnde facilè conjicitur, iam tunc in more poſitum fuiſſe, vt non tantùm quibuſdam locis in agris oratio fieret, ſed etiam vt orando circa fines parochiarum procederetur, & earum cuſtodia atque defenſio ſanctis Angelis commendaretur. Quare ſpectant hæ proceſsiones, non tantùm ad vbertatem frugum obtinendam, ſed etiam ad depellendas omnes calamitates & morbos à finibus parochiarum, atque ad diſſoluenda maleficia & immiſsiones quaſcumque per Angelos malos. Habentur ſupradictæ Orationes ſuo loco in Proceſsionali.

De Litaniis Sanctorum.

CAPVT XXX.

LItaniæ nomen à Græcis ſumptum eſt, & propriè ſonat humilem miſerorum ad genua procumbentium ſupplicationem. Vnde in eorum Liturgiis, in Ordine Romano, in Regula S.Benedicti c.9.12.&13: & apud Valafridum Strabonem libro de exord. & increm. rerum Eccleſ. c. 22. formula illa precationis, *Kyrie eleiſon*, id eſt, *Domine miſerere*, qua Eccleſia, velut de profundis clamans ad Dominum, eius miſericordiam obnixè implorat, propria & ſingulari appellatione Litania dicitur, vtpote habens in ſe neſcio quid grandioris affectus & compunctionis, vt loquitur Concilium Vaſenſe ſecundum, c. 3. Inde factum eſt, vt catenæ illæ precatiuncularum longo ordine inter ſe connexarum, quibus Eccleſia vtplurimùm in proceſsionibus vtitur ad inuocandam Sanctorum interceſsionem, Litaniæ quoque nominarentur; quia ſolenni more ab illa ſupplicatio-

ne, *Kyrie eleiſon*, inchoantur, & in eamdem deſinunt: qua ratione vulgari idiomate apud nos Kyriellarum appellationem ſortitæ ſunt. Ad eumdem modum in Officio Eccleſiaſtico Verſus illi, qui in Aduentu & Quadrageſima, & diebus ieiuniorum, flexis genibus recitantur in fine Matutini, & aliarum Horarum, poſt ternum, *Kyrie eleiſon*, communi vſu Eccleſiæ, per quandam antonomaſiam, *Preces*, id eſt, *Litaniæ*, dicuntur. Putant nonnulli Litaniæ nomen ideo proceſsionibus tributum eſſe, quòd in iis ordinariè canantur illæ Sanctorum Litaniæ. Et ſanè Eccleſia Romana nihil aliud canit in omnibus proceſſionibus, præter quàm in Feſto Purificationis B. Mariæ, Palmarum, & ſanctiſſimi Sacramenti, & pro gratiarum actione, vt conſtat ex Rituali Romano. Atque id fortaſſis ea cauſa factum eſt, quòd in dictis Litaniis omnis generis ſupplicationes contineantur, iuxta diuiſionem beati Pauli 1. Timoth. c. 2. Orationes, quando dicitur Deo, *Miſerere nobis*, & Sanctis, *Ora pro nobis*; Poſtulationes, tum pro auertendis malis, vbi dicitur, *Ab omni malo libera nos Domine*, & ſequentibus Verſibus; tum pro obtinendis bonis, in illo Verſu, *Vt nobis parcas, te rogamus audi nos*, & aliis ſequentibus: Obſecrationes ibi, *Per*

myſterium ſanctæ Incarnationis tuæ, & ſequentibus Verſibus: ſic enim diſtinguit S. Bernardus in Sermone *de quatuor modis orandi.* Quippe, *obſecrare* eſt, cum rerum ſacrarum adiuratione ad maiorem expreſſionem rogare; *orare*, preces ſuppliciter fundere; *poſtulare*, petere bona humano generi tribuenda. Sanctus Thomas 2.2. q.83.art. 17. paulò aliis verbis interpretatur, ſed tamen in eumdem ſenſum. *Ad orationem*, inquit, *tria requiruntur: quorum primum eſt, vt orans accedat ad Deum quem orat; quod ſignificatur nomine orationis, quia oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum. Secundò requiritur petitio, quæ ſignificatur nomine poſtulationis. Tertiò requiritur ratio impetrandi quod petitur, & ad hoc pertinet obſecratio, quæ eſt per ſacra conteſtatio; ſicut cùm dicimus, Per Natiuitatem tuam libera nos Domine.* Itaque Orationes omnes, quæ, tam in Miſſa, quàm in Officio Eccleſiaſtico, terminantur hac clauſula *Per Dominum*, verè obſecrationes appellari debent. Iuuabit ad deuotionem recitandarum Litaniarum hìc notare quod piè monet Sanctus Bernardus in citato Sermone: *Prima*, inquit, *id eſt, obſecratio, verecundo fiat affectu: ſecunda, quam propriè diximus orationem, affectu puro: tertia, id eſt, poſtulatio, amplum quærit affectum, & fiducia*

latitudinem, ſicut ſcriptum eſt, Poſtulet in fide, nihil hæſitans.

Cæterùm, quia temeritate multorum in ſuo ſenſu vana ſapientium eò iam ventum eſt, vt Litanias ſibi quiſque pro arbitrio confingat & euulget, vt plurimùm conſartas ex ſententiis ineptis, periculoſis, & errorem ſapientibus; quæ res & Catholicis ſcandali cauſam præbet, & hæreticis occaſionem inſultandi puritati Eccleſiæ: obſeruandum eſt, Clementem octauum publico decreto anno 1601. cauiſſe, ne cuiquam liceat, præter Litanias communes, quæ in Breuiariis, Miſſalibus, Pontificalibus, ac Ritualibus continentur, & Litanias de B. Virgine, quæ vulgò Lauretanæ voçantur, vllas alias Litanias in publicum edere, aut publicè recitare, ſiue in Eccleſiis, ſiue in oratoriis, ſiue in proceſſionibus, ſine licentia Congregationis ſacrorum rituum, ſub pœnis arbitrio Ordinarij, vel Inquiſitoris fidei, ſeuerè infligendis. Decretum extat apud Stephanum Quarantam in Summa Bullarij.

De Benedictionibus Eccleſiaſticis.

CAPVT XXXI.

QVando-quidem pleræque Eccleſiæ proceſſiones benedictiones aliquas habent adiunctas, vt putà in Dominicis, in Purificatione B. Mariæ, in die Cinerum, in Palmis, in ſupplicationibus & Stationibus quæ fiunt præſente Epiſcopo; vel ad eas ex inſtituto referuntur, vt in Cœna Domini ad conſecrationem Chriſmatis, in Sabbatis Paſchæ & Pentecoſtes ad benedictionem Fontis baptiſmalis, in Dedicatione Eccleſiæ: ne quid ad perfectam propoſiti argumenti tractationem deſideretur, adiungendum duximus hoc Caput de benedictionibus, quarum ignoratio non rarò ſanctarum Eccleſiæ inſtitutionum contemptum parit. Atque id eo libentiùs facimus, quòd earum explicatio in Rituali ſuo loco prætermiſſa fuerit.

Benedictio in Scripturis & Deo & hominibus tribuitur. Benedicere Dei, eſt benefacere: quia enim quod vult facit, cui be-

nè vult, aut benè dicit, eo ipſo benè facit. In hominibus autem benedicere, eſt alteri benè precari, ſeu vt bona proueniant optare. Ex quo patet diſcrimen inter benedictionem diuinam & humanam. Etenim illa ſuo effectu numquam fruſtratur; vnde Geneſ. 12. dicit Deus Abrahæ, *Benedicam tibi, eriſque benedictus*: hæc verò ſæpe inefficax & inanis eſt, quia non eſt in poteſtate hominis præſtare bona quæ alteri optat, ſed ea à Deo petenda ſunt, qui ſolus omnium bonorum auctor & largitor eſt.

Atque humana quidem benedictio duplex eſt. Altera priuata, qua quiſque ſuopte nutu, ex beneuolo erga alium affectu, ei felicia quæpiam à Deo precatur: & hæc tantam vim habet ad efficiendum, quantum ſanctitatis eſt in eo qui benedicit, vtpote qui Deo factus coniunctior, magis idoneum eſt organum communicandæ eius virtuti, & propenſiùs ab eo exauditur. Altera publica eſt, ſeu ex officio, quando quis, ratione muneris ſacri quo fungitur, petit à Deo vt perſonis ſeu rebus aliquibus bona conuenientia tribuat: & hæc eſt quæ benedictio Eccleſiaſtica propriè appellatur; quippe quæ nomine Eccleſiæ, & ex auctoritate ei à Deo conceſſa, fiat. Poſuit enim Deus Sacerdotes & miniſtros Eccleſiaſti-

cos diſpenſatores benedictionum ſuarum; Numer. c. 6. vbi per Moyſen ita loquitur Aaroni & filiis eius : *Sic benedicetis filiis Iſrael, & dicetis eis : Benedicat tibi Dominus, & cuſtodiat te ; oſtendat Dominus faciem ſuam tibi, & miſereatur tui : conuertat Dominus vultum ſuum ad te, & det tibi pacem. Inuocabúntque nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis.* Quem locum ſic interpretatur Petrus Damiani, Epiſtola ad ciues Florentinos, quæ eſt vndecima libri octaui, *Dominus in libro Numeri de Sacerdotibus ait : Inuocabunt nomen meum ſuper filios Iſrael, & ego benedicam eis. Sacerdos quippe Dominum ſuper hominem verbis inuocat, ſed ipſe ſuper eum Dominus benedictionem efficaciter format. Effectus itaque benedictionis non in merito Sacerdotis conſtat, ſed hanc inuocatio diuini nominis adminiſtrat: vt, quod ex ore ſonat hominis, intùs impleat creator; & per indigni ſæpe hominis miniſterium, diuina virtus ſuum veraciter efficiat ſacramentum.* Quod quidem conſentaneum eſt doctrinæ ſancti Auguſtini eundem locum Scripturæ exponentis, in libro Quæſtionum veteris Teſtamenti, c. 11. *Per quod oſtenditur,* inquit, *ſpiritum gratiarum non perſonam ſequi, aut digni, aut indigni, ſed ordinationem traditionis : vt, quamuis aliquis*

boni

boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere, niſi fuerit ordinatus vt officium miniſterij exhibeat: Dei autem eſt effectum tribuere benedictionis. Deo itaque operante in miniſterio ſacerdotali, benedictio Eccleſiaſtica habet effectum; non quidem ex opere operato ad inſtar Sacramentorum, ſed ex vi precum Eccleſiæ; quæ cùm ſit ſponſa Chriſti dilecta, non poteſt non exaudiri ab eo pro merito & dignitate ſua, quando aliquid pro filiis petit. Tota vis igitur benedictionum Eccleſiaſticarum eſt in oratione & inuocatione Eccleſiæ, quæ fit per eius miniſtros, vt de omni genere ciborum, qui à Chriſtianis ante eſum benedicuntur, dicit S. Paulus 1. Timoth. 4. *Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ideo, quemadmodum loco citato è libro Numerorum, Deus certam formulam populo benedicendi Aaroni & Sacerdotibus veteris legis præſcripſit; ita Eccleſia, diuino ſpiritu edocta, omnium rerum benedicendarum formulas conceptis verbis definiuit in libris ritualibus: vt ſciant Sacerdotes, quid in ſingulis, & quomodo petendum ſit: ne videlicet temerè & pro arbitrio loquendo, ab eius inſtitutione, propoſito, & fine exerrent, & ſic optatis decidant. Itaque omni ratione cauendum eſt iis, ne alias benedi-

ctionum formas, ritus aut cæremonias vſurpent, quàm quæ in libris Eccleſiaſticis, vtpote Miſſali, Pontificali, & Rituali, continentur. Circumferuntur enim non paucæ à ſuperſtitioſis & maleficis hominibus compoſitæ, & arte Dæmonum excogitatæ: quæ, vt latens venenum non facilè produnt, ita multos incautos decipiunt, & in impietatem, prætextu deuotionis aut remedij neceſſarij, facilè pertrahunt. Cauẽdum etiam, ne benedictiones Eccleſiaſticæ quocumque prætextu ad alios fines detorqueantur, quàm ad quos ab Eccleſia inſtitutæ ſunt. Cùm enim illæ vim non habeant niſi ex intentione & inuocatione Eccleſiæ, non autem ex propoſito & voluntate vtentium; certum eſt, ex communi ordine prouidentiæ diuinæ, eaſdem neque effectum ſortiri alium quàm ab Eccleſia inſtitutum, neque ſine piaculo ad alienos & particulari præſumptione excogitatos vſus poſſe applicari. Qui autem ſint legitimi fines & effectus ſingularum benedictionum, intelligitur ex earumdem verbis, atque ſententiis quibus concipiuntur.

Sunt autem illæ omnino in duplici differentia. Nam aliæ *Inuocatiuæ* à Theologis appellantur, aliæ *Conſtitutiuæ*. *Inuocatiuæ* ſunt, quibus Dei benignitas inuocatur,

vt perſonis ſeu rebus benedicendis, pro cuiuſque conditione, vſu, aut neceſſitate, aliquid boni tribuat, eáſve à malo vindicet; non immutato earumdem ſtatu: cuiuſmodi ſunt, benedictio Epiſcopalis, benedictio quæ datur initio Confeſſionis, quæ poſt Baptiſmum & Communionem, quæ in fine Miſſæ, quæ ante lectiones diuini Officij, quæ Diacono lecturo Euangelium, benedictio Regis & Reginæ, benedictio ſponſi & ſponſæ, annuli ſponſalis, noui militis, armorum, & vexilli bellici, veſtium Monachorum & Monialium, puerperæ, domus nouæ, nouæ nauis, vinearum, frugum, atque adeo omnium eſculentorum & potulentorum, & aliarum eiuſmodi rerum, quarum benedicendarum formulæ habentur in libro Sacramentorum S. Gregorij. Nam, licèt harum benedictionum virtute noua quædam bona, ſeu temporalia, ſeu ſpiritualia, diuinitùs conferantur rebus ſeu perſonis, pro quibus nomen Dei inuocatur: relinquuntur tamen illæ ſibi & ſuæ conditioni priſtinæ, atque vſui conſueto, neque ob hoc in ordinem rerum ſacrarum tranſeunt. *Conſtitutiuæ* dicuntur, per quas res ſeu perſonæ benedictæ conſtituuntur in eſſe permanenti rei ſacræ, religioſæ & ſanctæ, adeovt eum ſtatum deinceps non mutent, neque

ad profanum vſum redire poſſint. Quo in genere nonnullæ ad ſignificandum & repræſentandum aliquid ſacrum ſpectant; vt Cereus Paſchalis, vt cruces, vt imagines Chriſti & Sanctorum, candelæ in die Purificationis, rami in Dominica Palmarum, cineres feria quarta in capite ieiunii, panis eulogiarum, ſal qui adhibetur in Baptiſmo, anuli pro conſecratione virginum: quædam verò ad cultum Dei, & certa religionis officia atque miniſteria deſtinantur, vt Epiſcopi, Sacerdotes, & reliquorum Ordinum miniſtri, Abbates, Abbatiſſæ, Moniales, Eccleſiæ, capellæ ſeu oratoria ad vſum diuini ſacrificij benedicta, cœmeteria, campanæ, ſacerdotalia indumenta, mappæ Altarium, corporalia, ciborium ſeu cuſtodia ſanctiſſimi Sacramenti, & eiuſdem tabernaculum, capſæ Reliquiarum, & alia vaſa ſacra: quædam denique ad aliarum rerum benedictionem & ſanctificationem comparatæ ſunt, vt Chriſma, & Oleum Catechumenorum atque infirmorum, thus, aqua benedicta, tum communis, tum baptiſmalis, & Gregoriana, cuius vſus eſt in Dedicatione & reconciliatione Eccleſiarum, de qua habetur c. *Propoſuiſti*, & c. *Aqua.* de conſecr. Eccleſ. vel Alt. in Ordine Romano, & Pontificali Romano, & apud Ana-

ſtaſium Bibliothecarium in vita Leonis quarti. Hæc enim omnia, cùm per benedictionem ſeu conſecrationem in ius Domini tranſierint, & eius obſequio mancipata atque addicta fuerint, non poſſunt ſine ſacrilegio ad proprium hominis vſum, & profanos actus transferri: *Non licet prorſus* (ait Alexius Comnenus Nouella 2.) *res ſacras communes & profanas fieri, neque ea, quæ in manus Dei depoſita ſunt, rurſus ex iiſdem eripi, & in alios vſus transferri atque conuerti.* Et in Concilio Bracarenſi tertio, c. 2. *qui diuina vaſa vel miniſteria, Eccleſiaſtica ornamenta, vela, vel alia quælibet indumenta, atque etiam vtenſilia, ſciendo in ſuos vſus tranſtulerint, vel aliis donanda vel vendenda crediderint, ſi de ſæcularibus fuerint, perpetua excommunicatione damnandi; ſi verò religioſi* (id eſt Eccleſiaſtici ordinis) *ab officio deponendi decernuntur.* Et 12. q. 2. c. *Nulli liceat: Quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſanctorum Domino erit.* c. *Ad hæc.* de relig. dom. *Si locus ad hoſpitalitatis vſum, & pauperum prouiſionem, fuerit auctoritate Pontificis deſtinatus, cùm ſit religioſus, non debet mundanis vſibus deputari, ſicut de veſtibus, & ligneis vaſis, & aliis vtenſilibus ad cultum religionis per Pontificem deputatis, antiqua conſuetudo indubitanter obſeruat, & venerabi-*

lium patrum edocent ſanctiones. Et *de regu-lis Iuris*, in Sexto: *Semel Deo dicatum, non eſt ad vſus humanos vlterius transferendum.* Et ob hanc cauſam in Concilio Mediolanenſi vetitum eſt ne Altaria conſecrata ſine auctoritate Epiſcopi diruantur, aut loco moueantur: & c. *Relinqui*. extra, de cuſtodia Euchariſt. prohibetur ex Concilio Lateranenſi, ne ſupellectilia profana in Eccleſias admittantur, niſi propter hoſtiles incurſus, aut incendia repentina, ſeu alias neceſſitates vrgentes, ad eas oporteat haberi refugium: ſic tamen, vt, neceſſitate ceſſante, res in loca priſtina reportentur. Idcirco etiam ab Eccleſia conſtitutum eſt, vt ligna Eccleſiæ, pallæ Altaris, cathedra, candelabra, vela, & alia huiuſmodi ornatui & miniſterio templorum atque Altarium deputata, licet ſpeciali benedictione ſanctificata non fuerint, ſi vſu detrita, aut vetuſtate conſumpta ſint, incendio dentur, cineréſque ipſi in locum ſacrum & abditum inferantur; ne prætereuntium pedibus conculcari, aut quoquo modo irreuerenter haberi poſſint, de conſecr. diſt. 1. c. *Ligna*, & ſeq. quia nimirum ipſo vſu cultus diuini conſecrata cenſentur: cuiuſmodi ſunt illa de quibus ſcribit S. Auguſtinus in Pſal. 113. concione 2. *Sed enim & nos pleraque inſtrumenta & vaſa ex*

huiuſmodi materia vel metallo habemus in vſum celebrandorum ſacramentorum, quæ ipſo miniſterio conſecrata ſancta dicuntur, in eius honorem cui pro ſalute noſtra inde ſeruitur: quanto magis ea quæ Eccleſiæ benedictione ex deſtinato ſancta ſunt effecta?

Poſterioris autem huius generis benedictionum inſtituendi cauſa fuit, quòd, cùm ea quæ ad cultum Dei, & vſum aliquem ſacrum deſtinantur, ſancta eſſe oporteat, id eſt, talia quæ ei aptè conuenientérque deſeruire poſſint; Eccleſia, prout quamque rem ad eiuſmodi vſum ſtatuit adhiberi, ita ſtatis atque ſolennibus precationum formulis à Deo petere ſolet, vt illam eo vſu dignam, & ad eum aptam perficere dignetur, impedimenta, ſi quæ ſint, tollendo, & vim ad efficiendum neceſſariam tribuendo: quod benedicere, ſanctificare, dedicare, & conſecrare, vulgò dicitur. Et hac virtutis diuinæ ſanctificatione creaturæ à ſimplici rerum naturalium conditione eleuantur ad ſtatum quemdam quaſi diuinum, id eſt, ſupernaturalis cuiuſdam excellentiæ, vt iam ad Dei cultum dignè & congruenter applicari poſſint. Sanctus Thomas 2.2. q. 99. art. 1. *Ex hoc quòd aliquid deputatur ad cultum Dei, efficitur quoddam diuinum: & ſic ei quædam reuerentia*

debetur, quæ refertur in Deum. Idem 3. parte q. 83. art. 3. *Eccleſia, & Altare, & alia huiuſmodi inanimata conſecrantur, non quia ſint gratiæ ſuſceptiua, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtutem, per quam apta redduntur diuino cultui.* Quibus verbis conſentanea ſcribit Simeon Theſſalonicenſis in libro de diuino templo. *Ergo templum*, inquit, *quamuis lapidibus & lignis conſtet, tamen cæleſti gratia præditum eſt. Ab Epiſcopo enim myſticis precationibus conſecratur, oleo ſacro perungitur, totúmque Dei habitaculum redditur.* Et ex hoc res Deo dicatæ appellantur ſanctæ. Sanctitas enim, vt differit idem ſanctus Doctor 2.2. q.81. art.8. duo importat, munditiam, & firmitatem: munditiam, vt res ipſa, quæ denominatur ſancta, ab omni labe & inquinamento pura ſit: firmitatem, vt Deo tamquam vltimo fini & ſummo principio firmiter coniungatur, & immobiliter adhæreat. Mens autem humana inquinatur ex hoc, quòd inferioribus rebus, id eſt, terreſtribus & mundanis, coniungitur, ſicut quælibet res ex immiſtione peioris ſordeſcit: res verò inanimatæ impuritatem inde contrahunt, quòd in promiſcuo vſu creaturarum vilium, corruptibilium, & profanarum, verſentur; & prætereà,

quòd ſæpe maleficiis & noxiis impreſſionibus Dæmonum, aut irreligioſo vſu prauorum hominum, vel infidelium, conſpurcentur. Benedictione ergo Eccleſiaſtica, ſeu conſecratione, res quæ diuino cultui inſeruire debent, primùm ab omni Dæmonis immunditia & contaminatione purgantur, & eiuſdem infeſtatione liberantur (ad quem effectum pertinent exorciſmi, qui in nonnullis benedictionibus præmittuntur, & ſigna crucis frequentia, quibus eiuſdem Dæmonis vis pellitur) atque à communi, profano, & mundano vſu ſeiunguntur; & in hoc munditia eſt: deinde abſtractæ à colluuione & contage creaturarum, ad religionis ac pietatis vſum applicantur, & Dei cultui in perpetuum addicuntur; & in hoc cernitur firmitas illa quæ veram ſanctitatem perficit, vt res illæ à Sancto ſanctorum diuelli amplius non poſſint. Quare illæ deinceps ſingulari protectione virtutis diuinæ, & ſpeciali quadam Angelorum cuſtodia munitæ creduntur, vt ab omni iniuria & contaminatione vindicentur: quemadmodum Altare illud apud Ioannem Moſchum in Prato ſpirituali, c. 4. ad cuius cornu ſtantem Angelum cùm conſpexiſſet Abbas Leontius, & pauore correptus aufugiſſet, vox ad eum è cælo de-

lapſa eſt, dicens: *Ex quo ſanctificatum eſt Altare iſtud, ego iugiter illi adſtare iuſſus ſum.* Cui ſimile eſt aliud exemplum eodem libro, c. 10.

De purificatione rerum benedicendarum ante ſanctificationem, digna eſt quæ huic loco inſeratur Nicolai Cabaſilæ explicatio, ex libro quinto de vita in Chriſto: vbi ritum conſecrationis Altaris deſcribens ita loquitur. *Hoc facto, aqua luſtrali menſam abſtergit. Quoniam enim hominem, dominum omnium quæ viſu percipiuntur, communis tyrannus in ſeruitutem redegit, poſtea in omnia ſenſibilia, ceu in palatium rege proſtrato, irruit & inuaſit. Quamobrem, aſſumpta inde materia in vnoquoque myſterio, quodam purgatiuo aduerſus maligni vires opus eſt; ſicut & aquam, qua Initiatorem neceſſe eſt baptizare, Sacerdos vbi precibus ab omni diabolica malignitate purgauit, ſic demum carmen rituale & initiatorium pronuntiat. Eadem ratione menſam prius aquis malorum depultricibus abluit, & ſimul modum demonſtrat quo ad bonum ſit currendum, qui eſt declinare prius à malo. Itaque & ſuper malis hominibus cantatum Pſalmum in hac expiatione recitat, Aſperges me hyſſopo, & mundabor; lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Et poſt hoc, Deo gratias agit, eum veneratur,*

quod in omnibus conſecrationibus facit.

Quod pertinet ad miniſterium benedicendi, quædam ſunt benedictiones quæ communi iure & vſu Eccleſiæ fieri à quibuſuis Sacerdotibus poſſunt: quædam verò Epiſcoporum propriæ. Et harum quidem nonnullæ eiuſmodi ſunt, vt ſimplicibus Sacerdotibus committi & delegari poſſint, vt benedictio imaginum, nouæ Eccleſiæ, & cæteræ quæ in Rituali notantur: aliæ delegari non poſſunt, niſi auctoritate Apoſtolica, vt benedictio corporalium & veſtium ſacerdotalium, iuxta communem doctrinam, conſecratio calicis, Eccleſiæ & Altaris, & benedictio ſolennis ſuper populum: de qua notandus eſt Canon 44. Concilij Agathenſis, qui habetur c. *Miniſtrare.* 26. q. 6. *Benedictionem ſuper plebem in Eccleſia fundere, aut pœnitentem* (publicum) *in Eccleſia benedicere* (id eſt, reconciliare) *Presbytero penitùs non licebit. Penitùs,* dicit, vt excludat omnem prætextum Reliquiarum, aut alterius cuiuſcumque rei; quippe, cùm neque in ſolennioribus Miſſis & Officiis id fieri liceat à quibuſcumque Dignitatibus; exceptis duntaxat iis Abbatibus, qui ex ſpeciali priuilegio ſedis Apoſtolicæ poteſtatem habent

publicè benedicendi in Eccleſiis quæ ad eos pleno iure pertinent, iuxta c. *Abbates*. de priuileg. in Sexto, & ſi qui ſint alij quibus ſimile priuilegium conceſſum fuerit. Atque ea de cauſa Rituale Romanum, licèt iubeat in Feſto Corporis Chriſti, facta proceſſione, Sacerdotem ſemel benedicere populum cum Sacramento in modum crucis, vetat tamen quidquam dicere id faciendo: ne ſcilicet benedictionem Epiſcopalem imitari videatur, in qua Epiſcopus ter benedicit cum ſigno crucis, & pronuntiat formulam illam ſolennem, *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus*: quem modum ſacerdotalem benedicendi ſeruari debere ait in aliis proceſſionibus faciendis cum ſanctiſſimo Sacramento. Si, etiam cum Sacramento, non licet Sacerdotibus pronuntiare formulam benedictionis Epiſcopalis, & ter ſignare populum; quanto minùs cum Reliquiis Sanctorum?

Notatu illud dignum eſt, benedictiones Epiſcopales varias haberi in Sacramentario Grimoldi Abbatis, pro ſingulis Dominicis & Feſtis per anni circulum, imò etiam pro quotidianis & extraordinariis Officiis.

De origine autem benedictionis Epiſcopalis ſic ſcribit Radulphus Tungrenſis, libro de Canonum obſeruantia, Propoſitione vltima in fine. *Benedictionem Epiſcopalem Martialis Epiſcopus, Apoſtolorum diſcipulus, ex magiſterio Apoſtolorum tradidit: quas probabile ſtudium ſeruientium auxit, Ambroſius dicere cœpit: iſque mos ex eo vſquequaque conualuit. Apoſtolicus autem, hanc tantùm, quæ finita Miſſa dicitur, dicit.*

Libet verò hoc loco addere obſeruationem Nicolai Malaxi Protopapæ Nauplij, de conformatione digitorum in benedictionibus publicis apud Græcos, quæ habetur in fine Heirmologij. Scribit enim ille, in benedictione danda exprimi debere nomen *Ieſu Chriſti*; quia ipſe eſt in quo benedicuntur omnes gentes, ex ſententia S. Pauli Galat. 3. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu*: atque ideo Pontifices populo benedicentes ſolere digitos dexteræ ita inter ſe componere, vt eorum configuratione hæc duo ſancta nomina exprimantur, *Ieſus, Chriſtus*: quod fit hoc modo. Indice recto conſtituto, medius à ſummo paulùm inflectitur, ita vt ille rectitudine ſua literam Græcam, ι, hic cur-

uitate literam, ς, deſignet; quæ duæ literæ ſimul iunctæ compendioſa ſcriptione faciunt, Ιησοῦς: annulari autem obliquo deſidente, pollex ei tranſuerſus imponitur, qua figura litera, X, deſcribitur; auricularis verò ſeu minimus digitus, verſus vtrumque incuruatus, literam, ς, delineat; quarum duarum literarum compendio Græci nomen, Χειςὸς, ſignificare ſolent.

In Eccleſia Latina obſeruatur ritus manus verſus cœlum eleuandi, & deinde ſuper eos qui benedictionem ſuſcepturi ſunt extendendi, atque eos crucis figura conſignandi: qui ritus à Chriſto acceptus creditur. Nam de eleuatione manuum teſtimonium eſt S. Lucæ eius aſcenſum in cœlum deſcribentis, capite vltimo, *Eleuatis manibus ſuis, benedixit eis*: de extenſione verò in benedicendos, ex veteri lege exempla ſunt Leuitici 9. & Eccleſiaſtici 50. De vſu autem Eccleſiæ Catholicæ diſertè S. Auguſtinus Ep. 59. quæſt. 5. his verbis: *Interpellationes autem, ſiue, vt veſtri codices habent, poſtulationes, fiunt cùm populus benedicitur: tunc enim Antiſtites, velut Aduocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt poteſtati.* De ſigno denique crucis ita ſcribit S. Hieronymus

in hæc verba capitis 66. Iſaiæ, *Et ponam in eis ſignum: Hoc nobis*, inquit, *ad Patrem aſcendens Dominus dereliquit, ſiue in noſtris frontibus poſuit; Vt liberè diceremus, Signatum eſt ſuper nos lumen Vultus tui Domine.*

FINIS.

EMANUELE
BIBLIOTECA
IN ROMA

Google

Digitized by Google

INDEX RERVM HOC LIBRO CONTENTARVM.

A

Aκάθισος, Feſtum B. Mariæ, 221
Accendite, Verſus cur cantetur ante Miſſam ſolennem, 65
Accubita quid, 215, & ſeq.
Agape Chriſtiana, 215
Agios, cur cantetur in die Paraſceues, 42
Altare Chriſtum ſignificat, 142
Altare cur oſculetur Sacerdos in Miſſa, antequàm ſe conuertat ad populum, 142, 196
Altare cur debeat eſſe lapideum, 143
Altare ſepulcrum Chriſti repræſentat, 181, 182
Altaris veneratio, 119
Altaris varia nomina, 182
Altarium denudatio quid ſignificet, 140
Altarium ablutio quid ſignificet, 148

X

Digitized by Google

Ambon vnde dictus, 79
Angelus enſem diſtrictum recondit in proceſſione, 229
Angeli tutelares regnorum, 278
Angeli cuſtodiunt res conſecratas, 313, & ſeq.
Ante-Euangelium, 78
Antiphona, *Regina cæli*, vnde ortum habuit, 230
Antiphonæ præparatoriæ ad proceſſionem, 45
Apoſtoli ieiunarunt biduo mortis & ſepulturæ Chriſti, 132
Aqua benedicta in proceſſionibus, 27, 296
Aqua offertur à Cantoribus in Miſſa, 111. ab Archiparaphoniſta, 112
Aqua baptiſmi eſt mater adoptionis, 164
Aqua Gregorianæ, 308
Aquæ baptiſmalis conſecratio quàm antiqua, 164
Aquæ benedictæ ſparſio per agros, 296
Aquiliferi, 59
Arca Teſtamenti geſtata à Sacerdotibus & Leuitis, 7, 8, 9, 272
Arcæ Teſtamenti tranſlationes variæ, 7, 8, 9
Archidiaconus gerit Euangelium in proceſſione Palmarum, 24, 102
Archidiaconus benedicit Cereum Paſchalem, 167
Aſcenſio eſt Feſtorum decus, 244.

B

Βαπτιστήριος Dominica, 94
Balſamum oleo admiſcetur in conſecratione Chriſmatis, 104
Baptiſmi figura, 150, & ſeqq.
Baptiſmus dicitur Illuminatio, 160
Baptiſmus dicitur aduentus Spiritus ſancti, 249
Benedicere, quid ſit, 302, & ſeq.
Benedictio cur detur ad legendum Euangelium, non autem ad Epiſtolam, 73
Benedictio in fine Miſſæ quid referat, 246
Benedictio Dei & hominis in quo differant, 303
Benedictio humana duplex, 303
Benedictio eccleſiaſtica quid, 303
Benedictionis vis eſt in inuocatione Eccleſiæ, 304, & ſeq.
Benedictio Epiſcopalis non debet fieri à ſimplici Sacerdote, 315, 316
Benedictio cum Sacramento quomodo fieri debeat, 316
Benedictionis Epiſcopalis origo, 317
Benedictionis ſuper populum forma apud Græcos, 317, & ſeq.
Benedictionum formulæ cur ab Eccleſia definitæ, 305
Benedictionum Eccleſiaſticarum duo genera, 306
Benedictiones rerum ſacrarum cur inſtitutæ, 311

Benedictionum varij miniſtri, 313

C

Campanulæ in proceſſionibus, 27, 296
Cantores cur pſallant in oblatione Chriſmatis, 127
Cardinales cur vocentur Preſbyteri aſſiſtentes Epiſcopo, 121, 122, 123
Cerei in proceſſionibus cur deferantur, 25
Cerei in ſummitate crucis delati, 26
Cereos ardentes tenent Imperator & aulici, dum legitur Euangelium, 26
Cerei cur non præferantur in Paraſceue, 52
Cerei in proceſſione ad Altare quid ſignificent, 58
Cerei ad Euangelium cur, 77
Cereos cur fideles accipiant de manu Celebrantis in Purificatione, 89
Cereus Paſchalis cur benedicatur, 166
Cerei Paſchalis benedictio cur fiat à Diacono, 167
Cerei Paſchalis benedictio à quo inſtituta, 165
Cereus Paſchalis cur extinguatur in die Aſcenſionis, 247
Cerei Paſchalis particulæ ſuffumigantur contra dæmones, 296
Cerei Paſchalis in aquam ſtillatio quid ſignificet, 163
Cerei duo minores cur antecedant Cereum Paſchalem, 161
Cereos gerit Clerus in proceſſione Paſchali apud Græcos, 174

Item aulici, 177
Cherubicus hymnus, 47
Chriſmatis, conſecratio cur fiat in die Cœnæ, 105, & ſeqq.
eſt antiquiſſima, 108
Chriſma & Oleum ſanctum cur ſalutetur cum veneratione, 116
Chriſma cur infundatur in Fontem baptiſmalem, 164
Chriſtus conueſcens Apoſtolis poſt Reſurrectionem quid ſignificet, 214
Circuitus in proceſſionibus, 294
Collecta quid. 210
Conſecratæ res non ſunt transferendæ ad vſum profanum, 309
Conſtantinopolis dedicatio, 178
Conſtantinus crucem ſumit pro ſigno militari, 22, 23
Conſtantinus vrbem ſuam dicat B. Virgini, 278
Conuentuum Chriſtianorum, alij ſtatarij, alij ambulatorij, 14
Conuentus Chriſtiani cur nomine ſtationum appellati, 14, 222
Conuiuium Paſchale, 213, 214, 215
Corporale quid ſignificet, 182, 183
Crux quare in proceſſionibus defertur, 20, 21,
quid ſignificet, 26
Crucis publicè deferendæ origo, 21
Crucis ſignum apparet Conſtantino, 21
Crucis militaris ſignum, 22
Cruces plures in proceſſionibus, 24
Cruces in proceſſionibus qui portare debeant, 38

Crux in proceſſione ad Altare quid ſignificet, 57
Crux quare ad Euangelium portetur, 78
Crucis ſigno cur ſe muniat Diaconus legens Euangelium, 81
Crucis ſigno cur ſe muniant audientes Euangelium, 83
Cruce cur ſe ſignet populus lecto Euangelio, 85
Crucis ſignum in benedictionibus, 318

D

Dedicatio vrbis Ieruſalem, 11
Dedicatio vrbis Conſtantinopolitanæ, 178
Deputati ad Euangelium lampades præferunt apud Græcos, 77
Deus τελήλιος, 83
Διακαινήσιμος hebdomada Paſchalis dicitur, 194
Diaconi ſeptem vnde, 124
Diaconi teſtimoniales, 127
Dominica cur venerabilis & ſolennis, 217
Dominica cur dicatur dies ſolis 218
Dominica Palmarum quibus nominibus vocetur, 94
Draco in proceſſionibus, 28, 29
Draco ſub pedibus Conſtantini, 29
Draconis infernalis epitaphium, 30
Draco peſtem infert agro Romano, 32, 228
Draconis nomen pro quouis vexillo, 31
Draconarij, 30, 31

E

Eἰσόδιον quid, 51
Eccleſiarum nomen, vnde, 14
Eccleſia cur debet eſſe ordinata, 19
Eccleſiarum Chriſtianarum tres partes, 19
Epiſcopus Euangelium geſtat, 24
Epiſcopus apud Græcos ſignat Euangelium triplici cereo, 82
Epiſcopus cur deponat ſuperhumerale ad Euangelium, 84
Epiſcopo ſacrificanti & prædicanti cur plures Sacerdotes & miniſtri aſſiſtant, 126, 127
Epiſcopi ſolennis deductio in Eccleſiam, 211, 212
Euangelium in proceſſionibus defertur, 24
Euangelium prælatum ad Altare quid ſignificet, 56
Euangelium cur non portetur ad Altare in die Paraſceues, 52
Euangelij liber clauſus cur offertur Celebranti in principio Miſſæ, 61
Euangelij liber apertus quid ſignificet, 62
Euangelium cur oſculatur Celebrans in Introitu Miſſæ, 63
Euangelium cur legatur in Miſſa, 71, 72
Euangelium cur geſtetur in pectore, 74
Euangelium cur feratur cum pompa, 75
Euangelium Chriſti refert imaginem, 75, 102
Euangelium in ſublimi throno, vel in Altari, conſtitui ſolitum in Conciliis, 75

Euangelia adoranda, 76, 103
Euangelio prætereunti honoris cauſa aſſurgitur, 76
Euangelium cur in edito loco legatur, 79
Euangelium fertur in proceſſione Palmarum, 102
Euangelij liber cur conuertatur ad angulum Altaris, 143
Eugenij Imperatoris oblatio reijcitur, 129
ἀὐχὲλλαιον, 129
Exaltatio diuina, locus apud Conſtantinopolim, 47
Exomologeſes quæ proceſſiones dictæ, 284
Exorciſmi cur adhibeantur in benedictionibus & conſecrationibus, 313
Expiationis Feſtum, 282
Expiationum dies in Eccleſia, 282.

F

FAnones, id eſt, mappulæ, 118
Feria quinta olim obſeruata vt Dominica, 244
Feſtum Dominæ, 279
Feſtum Expiationis, 282
Feſtum Purificationis cur dicatur Hypante, 87
Flores ſparſi ſignificant dona Spiritus ſancti, 247
Fons baptiſmalis eſt mare rubrum, 163, 164
Fontis baptiſmalis miracula, 168, & ſeqq.
Fores Eccleſiæ aperiuntur in proceſſione Palmarum, 98, & in die Paſchæ, 175
qua de cauſa, 185, & ſeqq.

Digitized by Google

G

GEnua non flectuntur in Dominica, nec tempore Paſchali, 218, hoc quid ſignificet, ibidem.
Genuflexio non ſeruatur in hebdomada Pentecoſtes, 254
Graduale vnde dictum, 79
Græcorum ritus in die Paſchæ, 174, & ſeqq.
Græci oſculantur corpus Chriſti, 195

H

HÆreticorum oblationes non accipiuntur, 128
Hagiodulus Abbas ſuſcitat mortuum, vt recipiat oſculum pacis, 193
Hora tertia cur ſacra, 252
Hymnus Cherubicus, 47
Hymnus, *Gloria, laus & honor*, vnde initium habuerit, 101
Hyſſopus cur adhibeatur in ablutione Altaris, 144
Hyſſopus ſignificat humilitatem Chriſti, & fidem, 145
Hyſſopus adhibebatur in purificationibus legalibus, 144

I

IEiunium ſeruandum in Paraſceue & Sabbato ſancto, eſt inſtitutionis Apoſtolicæ, 135
Ieiunia non indicuntur tempore Paſchali, 217

Ieiunium in Litania minore, 240
Ieiunare licet tempore Paſchali, 242
Ieiunium olim prohibitum feria quinta, vt Dominica, 244
Ieiunium Niniuitarum triduanum, 287, 288
Ignis cur excutiatur è ſilice in Sabbato ſancto, 165
Imago B. Virginis diſſipat peſtilentiam, 229
Imperator fert altera manu crucem, altera lampadem in proceſſione Palmarum, 102
Ingreſſa, 51
Ingreſſus Altaris quid ſignificet, 60
Introitus Miſſæ quid ſignificet, 64
Introitus Miſſæ vnde dicatur, 50

K

Kyrie eleiſon, appellatur Litania, 298

L

Labari deſcriptio, 22
Lampadem geſtat Imperator in die Palmarum, 102, & in die Paſchæ, 177
Lampadarius prælucens Patriarchis, 59
Lampadarius præfert facem in proceſſione Palmarum, 102
Lampadarius prælucens Imperatori, 274, & ſeq.
Ligna ſacra, 28
Litaniæ nomen vnde, 298
Litania maior vnde ſic dicta, 227
non habet præceptum ieiunij, 227

eius inſtitutio, 228
cur fiat verno tempore, 235
in quos fines inſtituta, 235, & ſeq.
Litaniæ maioris proceſſio ab initio fuit anniuerſaria, 230
Litania ſeptiformis, 229
Litania minor à quo inſtituta, 234
Gallicana eſt, non Romana, 239
Litaniæ Sanctorum, 298, & ſeqq.
Litaniæ quæ prohibitæ, 301
Lumen cur præferatur ſanctiſſimo Sacramento, 274, & ſeq.
Luminaria in funeribus cur adhibeantur, 190
Luminum vſus in die Purificationis quid ſignificet, 88
Luminum vſus in die Paſchæ, 189, quid ſignificet, 190, 191.

M

Magdalena adorat Chriſtum poſt reſurrectionem, 195
Mamercus inſtituit Rogationes, 235
Manuum eleuatio in benedictione publica, 318
Maria Virgo prima vidit Chriſtum poſt reſurrectionem, 199
Miſſa Præ-ſanctificatorum, 130, 131
Miſſa Præ-ſanctificatorum cur celebretur in die Paraſceues, 131, & ſeqq.
Miſſa quibus diebus apud Græcos non celebretur, 130
Miſſæ ſacrificium non fit in die Paraſceues, nec in Sabbato ſancto, 132

Modeſtia Cleri in proceſſionibus, 34, 35
Modeſtia populi in proceſſionibus, 35
Mortuus reuiuiſcit, vt reddat oſculum pacis, 193
Mulieres adorant Chriſtum apprehendendo pedes eius, 195
Muſicis inſtrumentis vti in proceſſione vetat Concilium Mediolanenſe, 36

N

NAtalis dies vrbis Conſtantinopolitanæ, 278
Niniuitarum ieiunium triduanum, 287
Nouemdecim accubita, 216
Nox Paſchalis cum luminibus celebratur, 174, 189, 190, 191
Nox Paſchalis appellatur ſtatio veneranda, 218

O

O, Antiphonæ quid ſignificent, 224
Oblatio panis & vini ad ſacrificium, 111
Oblatio panis & vini conſecrandi in Miſſa apud Græcos, 114
Oblatio Eccleſiæ Turonenſis, 115
Oblatio Chriſmatis cur prodit è Secretario, 128
Oblatio Olei ad conſecrationem apud Græcos, 113
Oblationes explorandæ antequam deferantur ad Altare, 128
Oblationes quæ repudiandæ, 128

Digitized by Google

Obſecrationes, 299, & ſeq.
Oleum nomine populi offertur ad conſecrationem Chriſmatis, 111
Ωμοφόριον quid ſit, 84, 85
Oratio requirit præparationem animi, 39, & ſeq.
Ordo Cleri in proceſſione, 32, 33, 34
Ordo inuerſus in Vigilia Aſcenſionis, quare, 33
Oſculum cur detur Euangelio poſt eius recitationem, 86
Oſculum ſignaculum orationis, 192
Oſculum pacis reddit mortuus, 193
Oſcula Chriſtianorum in die Paſchæ, 173, 176, 191, 194
Oſcula in orationibus & in Miſſa, 191, 192
Oſcula inter Sacerdotes in fine Synodi, 193

P

PAnis eulogiarum offertur cum apparatu ad benedictionem, 115
Paſcha eſt feſtiuitas feſtiuitatum, 220
Patroni plures eiuſdem Eccleſiæ, 281
Pax vobis, cur dicat Epiſcopus initio Miſſæ, 63
Pedes apprehendere, ritus adorantium mulierum, 195
Peſtis extincta celebratione Feſti Purificationis, 91
Peſtis cauſa fuit inſtituendæ Litaniæ maioris, 228
Petrus Cnapheus addit Hymno, *Sanctus Deus*, 48

Petrus Cnapheus primus auctor conſecrandi publicè Chriſmatis, 108
Phelonium, 57
Pœnitentes publici quo die ex Eccleſia eiici ſoliti, 92
Ρολυσαυέιον, 57
Portæ templi cruce admota cur aperiuntur, 98
Poſt-euangelium, 78
Poſtulationes, 299, 300
Præfectus Euangelio in Eccleſia Græca, 24
Præparatio ad proceſſionem duplex, 44
Preces in Officio Eccleſiaſtico quid, 299
Proceſſio quid, 1
Proceſſionum varia nomina, 2
Proceſſio ad ſtationem pertinet, 3, 222
Proceſſionum diuiſio, 3
Proceſſiones pertinent ad externum cultum Religionis, 5
Proceſſio eſt oratio, 6
Proceſſionum vſus in veteri lege, 6, & ſeqq.
Proceſſio fit in Dedicatione, 15
Proceſſiones in Eccleſia antiquiſſimæ, 16
Proceſſiones ad celebritatem Martyrum, 16
Proceſſionum varia exempla ex Hiſtoriis, 17
Proceſſio eſt templum ambulans, 20
Proceſſiones turbantium pœnæ, 37
Proceſſiones non fiunt ſine Sacerdotibus, 37
Proceſſionis ad Altare deſcriptio, 51
Proceſſio plenaria, 52, 125
Proceſſio ad Altare cur à parte Auſtrali incipiat, 56, 57
Proceſſio Euangelij, 67
eiuſdem ordo ſecundum Græcos, 68, & ſeq.

Proceſſio Diaconi ab Altari ad Euangelium quid ſignificet, 72
Proceſſio in die Purificationis quid ſignificet, 88
cauſa eiuſdem proceſſionis inſtituendæ, 88, 89
Proceſſio in die Cinerum quid ſignificet, 92
Proceſſio Palmarum, 94
eiuſdem ſignificatio, 95, & ſeqq.
Proceſſio in conſecratione Chriſmatis, 108, 109
quid ſignificet, 110
Proceſſio ſummi Pontificis in die Paſchæ, 210
Proceſſio ante Officium in diebus ſolennioribus, 211
Proceſſio Dominicæ quid ſignificet, 218, & ſeq.
vnde ritus ſuos accipiat, 220
Proceſſio duplex in die Palmarum, 220
Proceſſiones Quadrageſimales feriæ quartæ & ſextæ vnde originem habuerint, 222
Proceſſio Græcorum in Miſſa Præ-ſanctificatorum, 273
Proceſſiones expiatoriæ, 283, quibus diebus indicendæ, 286
Proceſſiones generales, 284
Proceſſiones menſtruæ quando inſtitutæ, 284
Proceſſiones anniuerſariæ, 284, & ſeq.
Proceſſiones triduanæ, 288, & ſeqq.
Proceſsio ſanctiſsimi Sacramenti, 257, & ſeqq.
Proceſsio Aſcenſionis, 243, & ſeqq.
Proceſsio in Sabbato Pentecoſtes, 251
Proceſsio in Feſto Aſſumptionis pro Rege & Regno, 278
Proceſsiones ambaruales, 293

Progreſſus Sacerdotis ad Altare quid ſignificet, 53
Purificatio cur adhibeatur in benedictionibus & conſecrationibus, 313, 314
Purificationis Feſtum Conſtantinopoli primùm celebratum, & qua cauſa, 91

Q

QVatuor Tempora inſtituta ad expiationem animarum, 283

R

REgna ſingula ſuos habent tutelares Angelos, 278, 242
Reliquiæ Sanctorum in proceſſionibus, 25
non deferendæ in proceſſione ſanctiſſimi Sacramenti, 25
Ad Reliquias cur accendantur lampades & cerei, 190
S. Remigius vocatus ad Concilium pro inſtituenda Litania maiore, 236
Reſurrectionis Chriſti denuntiatio in die Paſchæ, 171, & ſeqq.
Reſurrectionis memoria in feria quinta, vt in Dominica, 244
Rogationes, 234, & ſeqq.
Gallicanæ ſunt, non Romanæ, 239
appellantur Ieiunium Niniuitarum, 289

S.

SAcerdotes duodecim cur aſſiſtant Epiſcopo Chriſma conficienti. 119. 120.
Sacerdotes duo afferunt S. Sacramentum ad Altare in die Paraſceues, 138. 139. ij quid ſignificent. 138.
Sacerdotes ſunt diſpenſatores benedictionum Dei. 304.
Sacris rebus debetur veneratio. 117. 311.
Samſon portas Gazæ auulſas fert in montem, & hoc quid ſignificet. 186.
Sanguis Chriſti cur non reſeruetur in diem Paraſceues. 137. 138
Sanctitas rerum conſecratarum in quo conſiſtat. 312. & ſeq.
Sanctus Deus, Antiphona, vnde originem habuerit. 45.
Sepulcri Dominici deſcriptio. 183.
Sepulcrum Domini fuit clauſum quando ad illud venerunt mulieres. 184. ante illud fuit veſtibulum. ibidem.
Sergius an ſit auctor proceſſionis luminum. 90.
Stationum nomen vnde. 14.
Stationis Pontificiæ exemplum. 210.
Stationis variæ ſignificationes. 221. & ſeqq.
Statio ante Crucifixum quid ſignificet. 223. cur in Quadrageſima omittatur. 224.
Statio cur fiat de B. Maria in Aduentu, & poſt Natiuitatem. 225.
Stationes aliæ matutinæ, aliæ veſpertinæ. 226.
Stationalis ſolennitas. 222.

Stationalis Eccleſia. ibidem.
Stationarij Diaconi, Subdiaconi, & Acolythi. ibidem.
Stationarius ſcyphus. ibidem.
Subdiaconus præcedens Sacerdotem quid ſignificet. 60.61.
Subdiaconus cur antecedat Euangelium manibus vacuis. 80.
Subdiaconus cur legendum Euangelium Diacono præmonſtret. 80.
Subdiaconus oblationarius. 111.
Subdiaconi iuxta numerum Diaconorum miniſtrant. 125.
Sueſſionenſium proceſſio in die Paſchæ. 179. 180.194.
Superhumerale laneum Epiſcopi quid ſignificet. 84.85.
Symbolum fidei cur cantetur poſt Euangelium. 87.

T.

Tabulæ legis diuinæ in Arca. 24.
Templorum Chriſtianorum tres partes. 19.
Terræ motus horrendus Conſtantinopoli. 47.
Tertia cur Hora ſacra dicatur. 252.
Thuris ſuffitus quid ſignificet. 55.77.
Thuris grana quinque cur figantur in Cereo Paſchali. 163.
Triduanæ proceſſiones. 287. & ſeqq.
Τριήλιος Deus. 83.
Τρικήριον. 82.
Trinitas ſol triplex. 82.
Triſagium. 47.

Turonenſis proceſſionis ordo. 52.59.115.
Turonenſis Eccleſia quo ritu vtatur in oblatione Miſſæ. 115.

V.

Valentiniani Imperatoris oblatio reijcitur. 128.129.
Vicedominus quid. 215.
Vicedominium. ibidem.
Viennæ prodigia. 235.
Vigilia Feſti cur dicatur παραμονή. 221.
Vnctio ſacra quibus rebus adhibeatur. 103.104.

Z.

Zoſimus an inſtituerit benedictionem Cerei Paſchalis. 165.

FINIS.

Digitized by Google

Extraict du Priuilege.

PAr grace & Priuilege du Roy, il eſt permis à Me Iacques Eueillon, Preſtre, Chanoine en l'Egliſe d'Angers, faire imprimer par tel Imprimeur que bon luy ſemblera, certain liure intitulé, *De Proceſſionibus Eccleſiaſticis*, qu'il auroit compoſé par l'ordre du Sieur Eueſque dudit lieu, & pour l'vſage de ſon Dioceſe: Auec defences à tous Libraires & Imprimeurs, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer ledit Liure, durant *cinq ans*, à commencer du iour qu'il ſera acheué d'imprimer, ſoubs quelque pretexte & en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le conſentement dudit Eueillon, à peine de confiſcation des exemplaires, quinze cens liures d'amende payable ſans deport, applicable moitié à ſa Majeſté, & moitié à l'Hoſtel-Dieu de Paris, & enſemble de tous deſpens, dommages & intereſts: Voulant ſadite Maieſté qu'en mettant au commencement ou à la fin dudit Liure l'extraict des lettres du preſent Priuilege, elles

ſoient tenuës pour deuëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée, & aux copies d'icelles deuëment collationnées, comme à l'original. Donné à Paris le quatrieſme Octobre 1641.

Par le Roy en ſon Conſeil.

LE BRVN.

Ledit Eueillon a cedé & tranſporté le droict du Priuilege cy-deſſus pour la premiere edition à Matthieu Guillemot, Marchand Libraire & Imprimeur audit Paris, par acte paſſé entr'eux le quinzieſme d'Octobre preſente année 1641.

Errata typographica.

In Epiſtola, pagina 9. *reuerentia*. Lege, *modeſtia*.

Pag.14. *dicuntr*. Lege, *dicuntur*.

Pag.28. *lla*. Lege, *vlla*.

Pag.80. *ex lex*. Lege, *eſt lex*.

Pag. 89. in quibuſdam exemplaribus irrepſit, *Damaſo*. Lege, *Gelaſio*.

Pag.160. *Baptiſmis*. Lege, *Baptiſmus*.

Pag.182. *Senonenſis*. Lege, *Sueſsionenſis*.

Pag. 183. *Senonenſi*. Lege, *Sueſsionenſi*.

Pag.194. *Senonenſi*. Lege, *Sueſſionenſi*: & ibidem, pro, *Senonenſes*. Lege, *Sueſſionenſes*.

Pag.216. *vcl*. Lege, *vel*.

Pag.218. *diſcuſſiſi*. Lege, *diſcuſsis*.

Pag.223. *vltimur*. Lege, *vtimur*.

Pag.253. *particeps*. Lege, *participes*.

Pag.306. *Inuocatiua*. Lege, *Inuocatiuæ*.

EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

2-2-2